**Dissertatio medica inauguralis de homine dextro et sinistro ... / [Meinard Simon du Pui].**

**Contributors**

Pui, Meinard Simon du, 1754-1834
Rijksuniversiteit te Leiden

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Fratres Murray, 1780.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/wpfgtun5

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

# DISSERTATIO MEDICA

DE

# HOMINE

DEXTRO ET SINISTRO.

14

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# HOMINE DEXTRO ET SINISTRO.

QUAM,

ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

*EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI*

EWALDI HOLLEBEEK,

S. S. THEOL. DOCT. EJUSQUE IN ACAD.
LUGD. BATAVA PROFESSORIS ORD.

NEC NON

*Ampliſſimi* SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,
*&* *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime conſequendis,

*Publico ſubmittit examini*

MEINARDUS SIMÓN DU PUI,
ENCHUSA WESTFRISIUS,
A. L. M. & Phil. Doctor.

*Die* XXV. *Februarii* MDCCLXXX. *Ab hora* 9 *ad* 11 *L. S.*

*LUGDUNI BATAVORUM,*
APUD FRATRES MURRAY,
cIↃIↃCCLXXX.

*Quemadmodum enim* Homo *quidam* exterior *conſpicitur ex partibus ſenſui obviis compaginatus, ita procul dubio &* interior *eſt quidam* Homo *è debita ſpirituum ſerie, & quaſi fabrica, conſtans, ſolo rationis lumine contemplandus.*

TH. SYDENHAM Epiſt. ad G. COLE.

V I R I S.

*NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS.*

*P R U D E N T I S S I M I S.*

C O N S U L I B U S.

SCABINIS. ET. CONSILIARIIS.

LIBERAE. IMPERIALIS. CIVITATIS.

C A M P E N S I S.

E T.

QUI. ILLIS. AB. ACTIS. SUNT.

FIDELISSIMIS. CONSULTISSIMIS.

HANC. DISSERTATIONEM.

*Omni. Obſequio.*

*Dicat.*

MEINARDUS. SIMON. DU. PUI.

# PRAEFATIO.

*Titulum Diſſertationis hujus miraberis forte B. Lector, cum novitatem prodere videatur atque obſcuritatem quamdam prae ſe ferre: levi autem adumbratione concipies facile, quid ſignificet. Ab* HIPPOCRATIS *quippe tempore ad hunc usque diem Hiſtoriae memorantur morborum, qui Symptomata & Evacuationes criticas in dimidia tantum noſtri Corporis parte manifeſtarunt, ſic ut unius Lateris actiones poſſint laedi, dum alterius conſuetum Naturae iter ſequantur, ac officia ſua praeſtent illibatae. Hae itaque, cum fideli adnotatione eorum morborum exiſtentiam perdiſcerem, atque eam confirmari cognoſcerem ſimul variis Obſervationibus, quas mecum Viri Clariſſimi & Doctiſſimi (quibus pro beneficio hoc publice debitas perſolvo grates) communicarunt, quaeque hanc*

*Diſſertationem nunc adornant; effecerunt, ut,* Sydenhamio *praeeunte (qui Nervorum Syſtema tanti momenti credidit, ut illud* Hominem in Homine *appellaverit) Morborum genera, quae unum tantum Corporis Latus adfligunt titulo* Hominis Dextri & Siniſtri *affectionum inſignwerim. In hoc autem inprimis incubuiſſe me ſcias, ut, quemadmodum de Syſtematis Nervoſi morbis dextri ſiniſtrive Lateris ab omni aevo omnibus conſtitit Medicis, ita & Obſervationum teſtimonio, illisque & oeconomiae N. C. legibus fundata Ratiocinatione, ſtabilire conarer, in Syſtemate Vaſculoſo ſimiles locum habere Dimidii Hominis morbos: hos in Prima Sectione, illos in Secunda propoſui.*

*Biennium elapſum eſt, ex quo Materiam hanc meditari, atque ad illam pertractandam congerere, quae uſui mihi forent, ſuſceperim. Subvene-*

 *ne-*

*nerunt interea temporis multa, quae prius ad finem perducere hanc Diſſertationem impediverunt: prae ceteris peregrinatio in Angliam Galliamque, quo praecepta, quae mihi tum in Groningana, tum in Leidenſi, Academia in Praxi Medica, Chirurgia & Arte Obſtetricia comparaveram, frequentiori morbos videndi occaſione ac Exterorum doctrina atque experientia, in utriusque Regni Metropoli, ſtabilirem & firmarem. Suſceptum iter, quemadmodum ſtudiis meis proficuum, ſic pariter huic Opuſculo non inutile fuiſſe, confido: toto enim illo tempore mihi colligendi Obſervationes varias, & ſaepius ſeveriusque de hac materie cogitandi fuit occaſio. Sic quidem factum eſt, ut nimiam forte materiae ubertatem acceperim, & ultra ſolitos limites excurrat haecce Diſſertatio; ſimul autem ſic contigit, ut paulo penitius ejus ſub-*

*jectum perſpicere, & Materiem hanc, nemini adhucdum, quantum novi, ex profeſſo pertractatam, pro dignitate quadantenus perſcrutari potuerim. Longe tamen abeſt B. L., ut ſentiam, me in omnibus rem acu tetigiſſe, &, quod agendum erat, peregiſſe: facile enim video, Tractatum hunc non uno laborare vitio, atque hiatus & defectus varios in eo dari; ipſe probe ſentio: hos adimplebit forte dies poſtera,* Medicina enim (*ut recte inquit* BAGLIVIUS) non ingenii humani partus, ſed temporis filia.

*Hoc omne eſt, quod praefari volui. Vale Lector, ac noſtris conatibus, ſi qua laude digni ſunt, fave!*

Dabam Lugd. Batav.
die 25. Februarii
CIƆIƆCCLXXX.

# DISSERTATIO
## MEDICA
DE
# HOMINE DEXTRO ET SINISTRO.

---

## SECTIO PRIMA.

DE

### ADFECTIONIBUS ALTERUTRIUS LATERIS, INPRIMIS EX VASORUM SYSTEMATE ALIISVE PARTIBUS DEDUCENDIS.

*Introductio.*

Suos ſane habent uſus noſtri corporis partium diverſarum duplex numerus, functiones eaedem: his corpori elegantia conciliatur major; harmonia perfectior; numeri, ponderis & menſurae ſymmetria concinnior; ex effectibus porro ac Naturae ordine, quem in his tenent C. H. leges, elucefcit, partium harum numerum duplicem vitae non raro conſervandae munia eſſe potentiſſima, ſic ut pars altera laeſae, ſuave functione interturbatae, nonnunquam ſuppetias adferat inſignes, alterius vices non raro gerat integras, aut alia producat praeſidia, ſine quibus, ni talis obtineret partium diviſio, vita perſiſtere haud potis eſſet.

Haec hominis in duas quaſi partes, *dextram* & *ſiniſtram*, diviſio ut levi obſervatur ſcrutinio, ſic ejus pro N. C. ſalute facillime inveniuntur emolumenta: quod ſi autem ſyſtema vaſculoſum, &, quae huc ſuam ſymbolam conferunt, partes alias ita comparatas afferamus, ut ex harum fabricâ & actione morbi nonnunquam naſcantur, qui dimidiatam tantum corporis partem adfligunt, non ita forte conſentientes inveniemus plures, niſi dicta probentur. — Nec mirandum hoc; cum enim fluidum vitale, ſolâ N. C. actione elaborandum, ex utriusque cordis cavitate per ſuos ſibi privos canales & maeandros, rectos, incurvatos, obliquos, anfractuoſos, magnos, minimos per omnem N. C. partem legibus hydraulicis, hydroſtaticisque premi, ferri, propelli, perque alios revehi, ſic ut totam machinam pervagetur, quibuscunque etiam imbuta proprietatibus, quaevis particula ſanguinis, ſibi imaginetur tantum judex praecipitantior, nec ad alias, hic certe adferendas, cauſſas attenderit curatius; non facile perſpiciet certe, quî fiat, ut ex eodem latice, totum circumvagante corpus, unicum modo adfici poſſit latus, intacto ſuperſtite. — Et hoc argumentandi genus etſi ſpeciem aliquam habere videatur, factis tamen ipſis refellitur: tot enim haec res obſervationibus eſt ſtabilita, tot exſtant effectus ejus certi, ut nullus de eâ dubitandi ſuperſit locus.

Materies haec ordinem requirit juſtum: quod, quum alia non ſit via, quâ in cognitionem cauſſarum deſcendere liceat, quam per ſollicitam obſervationem effectuum & phaenomenorum, perque corollaria ex his aut ſponte fluentia, aut neceſſitate mathematicâ inde deducta, congruum eſt, ut quid hac de re Auctoribus obſervatum ſit proferatur; dein in horum phaenomenorum cauſſas inquiratur,

atque inde poſtmodum ſequelae deducantur legitimae, quae praxin illuſtrant medicam.

# CAPUT I.

## OBSERVATIONES MORBORUM DIMIDII HOMINIS CONTINENS.

### §. I.

*Genarum rubores; albedo Linguae è directo pulmonis adfecti; linguae intumescentia & rubedo dimidiae.*

Practicis notatum eſt frequentiſſime (*a*), in pectoris adfectionibus, iis praeſertim, quae peripneumoniae; haemoptoae; vomicae; phthiſi; pulmonumque inſequuntur tuberculis, alterutram genam, prout dexter, vel ſiniſter obſeſſus pulmo eſt, rubore tingi notabili. In peripneumoniâ ſanguinis colore naturali haud diſſimili. In aliis autem mox memoratis morbis alteruter ille rubor floridioris ingenii eſt & coloris exaltatioris, ita ut praediſpoſitis colores iſti amoene roſei intermixto candido horum malorum perſaepe infida ſint praenuntia.

Haud ita frequentioris effectus ſunt, quae peripneumonicis accidere notavit COUS: nimirum linguam quandoque albidam fieri in integrum, ſi totus adfectus fuerit pulmo, & pro dimidiâ tantum parte,

(*a*) Vid. inter alios venerandi Senis Cl. OOSTERDYKII Inſt. Med. Pract. Lib. IV. Morb. Part. C. III. §. XV. C. IV. §. XI. C. V. §. IX. & C. VI. nec non Ill. SWIETENII Comm. Tom. III. pag. 645 & 673.

parte, ejus ſi demidia fuerit adflicta pars: inquit enim (*b*), „In pulmonis inflammationibus ſi lin- „gua tota alba fiat ac aſpera, ambae pulmonis „partes inflammatione vexantur, quibus vero „dimidia lingua, qua parte id adparet, inflam- „matio adfligit." — Hoc Hippocratis confirmantes dogma nullas aliis recenſitas Aucto- ribus inveni obſervationes.

Dimidiatam hanc linguae diſpoſitionem vigere non raro absque eo, ut ſuam hic quaſi ſymbolam conferant pulmones adfecti, aliorum comprobant obſervationes: quandoque etenim tumere tantum dimidiam linguam & in Act. Acad. R. Chir. Pariſ. & in Ephemerid. N. C. legitur. Prior obſervatio in dicto opere occurrit Tom. V. p. 515., ubi Cl. de la Malle memorat, quod poſt faucium ex- ortum vitium, & inde natam deglutitionem diffici- lem, dimidia tumuerit lingua: poſtquam enim haec memoraverat, ita pergit. „*On lui preſcrivit des* „*boiſſons refraîchiſſantes: & elle paroiſſoit hors* „*d'affaire, lorsque au bout de quelques jours, dans* „*la nuit du dix-ſept au dix-huit du mois la langue* „*ſe tumefia dans toute ſa longueur du coté gauche:* „*quoique le gonflement n'affectat qu'un ſeul coté,* „*il etoit ſi conſiderable, qu'il genoit la reſpiration &* „*rendoit la deglutition impoſſible.*" — Poſterior in- venitur in memoratis Actis Dec. I. Ann. VI & VII. obſerv. IX. pag. 20., ubi de hirudinum ſucceſſu felici in cephalalgiâ inveteratâ agens haec interſerit Cl. Langelottus „Sed novo quodam exem- „plo idem ille heros hirudinum ſingularem effe- „ctum in contumaciſſimo linguae tumore eſt ex- „pertus: induruerat lingua ad partem ſui dimi- diam,

(*b*) Coac. Praenot. n. 400. Ed. Foëſ.

„ diam, idque ex bilis atrae defluxione, ita ut ari-
„ di inſtar ligni immobilis in ore haereret, vixque
„ ulli uſui ſufficeret.” Obſervatio illa memoratur
etiam in *Memoir. de l'Acad. R. de Chir.* l. mox cit.

Nec tumere tantum dimidiam linguam, verum etiam nigredine tingi quandoque ſolam, patet ex obvatione, litteris conſcriptâ (quibus eo major habenda fides eſt, quod de alio morbo agentes, de linguae vitio quaſi per tranſennam modo moneant) a Chirurgo quodam expertiſſimo, atque in Patria noſtrâ haud incelebri, qui aegri, dolore fixo dextri lateris capitis & maxillae ſuperioris laborantis, una cum nigredine linguae dimidiae lateris ejusdem, habuerat curam, quam mecum pro ſolitâ erga me benevolentiâ communicavit Clar. Praeceptor VAN DOEVEREN.

## §. II.

### *Coloris cutis Ičtero depravati exempla.*

Hujus coloris depravati exemplum manifeſtisſimum CONRADI BERTHOLDI obſervatio eſt de ičtero corporis dimidii, qui ita ſeſe obtulit.
„ Ičterum unius lateris hačtenus apud nullum au-
„ čtorem reperi, obſervatus tamen à me ante bien-
„ nium in generoſiſſimo de St. ſeptuagenario ma-
„ jore, qui cum ab ira, cui graviori per na-
„ turam obnoxius erat, apoplexia corriperetur,
„ quam hemiplexia dextri lateris excepit, ſimul
„ ičtero partis ejusdem laborabat, corpus ad-
„ eo accurate quaſi dividente, ut etiam na-
„ ſi dextrum latus ičteritium eſſet, ſiniſtrum
„ vero colorem naturalem retineret, haud ſecus
„ ac in ſene quodam podagrico altera quoque naſi
„ me-

(c) Eph. N. C. Cent. III. obſ. 64.

„ medietas adfecta ab ETMULLERO (*d*) obſervata
„ eſt. — Quamvis autem Dn. aeger propter aeta-
„ tem ab omnibus pro deplorato haberetur, cum
„ & urina ſupprimeretur; V. S. tamen & con-
„ venienti cephalicorum cum Bezoardicis, quae
„ inter tinctura Michaëlis valde proficua depre-
„ hendebatur, conjunctorum uſu intra duas ſep-
„ timanas reſtituebatur, ita ut icterus quoque diſ-
„ pareret. — Incolumis ab eo tempore integrâ-
„ que valetudine exſtitit usque ad finem Octobris
„ anni ſuperioris, quo iterum ab ira frequentiori
„ caſuque nocturno continua febre correptus, cum
„ propter octiduanam abſentiam meam, qua Au-
„ guſto Electori Brunsvicenſi Domino meo Cle-
„ mentiſſimo vocabar, alteri cuidam medico ſeſe
„ committere coactus fuiſſet, ſeu propter muta-
„ tionem hanc, ſeu quoque aetatis ratione morti
„ tandem in praedam ceſſit." Hanc recenſuit ob-
ſervationem MORGAGNIUS (*e*), inque illius cauſſam, ut obiter ipſam tetigerat obſervationem, obiter etiam inquiſivit; verum de hac infra dicendi erit locus.

Non ita dimidiati quidem praeciſe corporis at ſingularium tantum corporis partium ictero infectarum, ut dextri praeſertim brachii, faciei duntaxat, aut mammae, aut digiti, vel unguium ROSENIUS ex PAULINO (*f*) & Actis N. C. (*g*), & ex Diario medico Gallico (*h*) VOGELIUS meminere (*i*). Hiſce abſolutis pergo ad alia exempla.

§. III.

(*d*) In Collegio Practico Oper. Tom. 2. pag. 844.

(*e*) Epiſt. Anat. Med. XI. art. 14. de S. & C. morb. per Anat. indagatis.

(*f*) Obſ. Dec. I. 9.

(*g*) Vol. IV. Obſ. 112.

(*h*) Journal de Medecine M. de Fevrier 1768. p. 163.

(*i*) Praelect. Pract. Titulo Icteri.

## §. III.

### *Unius lateris Sudores.*

Horum aliquas colligere obſervationes mihi annales ſuppeditarunt medici: quas ſequenti ordine accipite.

„ Prudentisſimus J. J. Eerhard XIII. Vir „ Argentoratenſis per omnem vitam tantum ſudabat in dextris corporis partibus: egoque vidi in „ fronte & alibi dextrum latus ſudore madere, „ ſiniſtrum nunquam. Obibat pie paucos ante annos ſexagenarius hydrope" (*k*).

„ Numero aliquot (inquit Ledelius (*l*)) „ deprehendi perſonas Gorlicii Luſatorum curae „ meae, ob aegritudines varias, ſubditas, quibus „ altero latere ſudante, alterum minime humectatum deprehendi: nec tantum è Nobilitate, ſed & „ è plebejis fuerunt, ita ut jam non amplius pro „ raro ſit reputandum".

„ Sutoris Quedlinburgenſis uxor adhuc vivens, „ ſucci plena, caeteroquin ſana & vegeta, ubi „ corpus à motu vel calore externo, vel aſſumto „ ſudorifero calefit, in ſingulis ſiniſtri lateris partibus à capite ad calcem usque ſudorem profundit largiſſimum, in dextro vero latere ne minima ſudoris gutta nec mador unquam erumpit, „ id quod ego partim non modo ſaepiſſime vidi, „ ſed ipſa quoque hoc à pueritia, quantum recordari poteſt, non aliter contigiſſe, conſtanter as- „ ſe-

(*k*) Vid. Obſ. D. Georgii Franci in Eph. N. C. Dec. I. Anno IV. & V. Obſ. C.

(*l*) Ibid. Dec. III. A. II. Obſ. LII.

„ ſeverat. Quod autem hic quam maxime miran-
„ dum mihi videtur, illud eſt: quoties haec femi-
„ na ex marito concepit (eſt autem quinque jam
„ liberorum mater) ſtatim à conceptionis & hinc
„ geſtationis tempore ſudorem per corporis partes
„ in utroque latere ordinarie prorumpere obſer-
„ vat; exantlatis vero partus laboribus eo ipſo mo-
„ mento dextri lateris pori concidunt, ac firmiſ-
„ ſime iterum clauduntur, adeo, ut ipſa ſudorem
„ totius corporis pro infallibili conceptionis ſigno
„ in ſe jam agnoſcat, habeatque. Extra ingra-
„ vidationis vero tempus etiam in balneo calidiſſi-
„ mo per diaphoretica maxime volatilia (quod ali-
„ quoties tentavi) ſudor nullatenus allici poteſt.
„ Ipſa interim nulla hinc ſentit ſanitatis incom-
„ moda, niſi aliqualem ſiniſtri brachii ac totius fe-
„ re ipſius lateris gravitatem, forſan à latice ſe-
„ roſo illuc copioſius affluente oriundam" (*m*).

Duplicem, cujus ejusdem fere generis altera eſt, obſervationem memoriae prodidit Cl. Hartmannus (*n*), eo tamen cum diſcrimine, ut faemina haec, cujus meminit, ſudores tantum pateretur dimidios, quotiescunque geſtaret utero. Altera eſt de faemina perpetuo fere ex cordis palpitationibus laborante, ſiniſtri ſolius lateris ſudoribus perfuſâ.

Inſequatur jam obſervationum ejusdem generis par à Clar. P. Rommelio conſervatum (*o*):

„ Ill. & generoſa quaedam Baroniſſa, re exigen-
te,

(*m*) Ibid. Obſ. D. Jacobi Schmidii in Dec. II. A. II. Obſ. CXXVI. p. 287.

(*n*) In diſſert. de Sudore unius lateris edita Halae ad Salam A. 1751. 4to. p. 38, Not. 26. in fine.

(*o*) Mox cit. Eph. N. C. Dec. II. A. X. Obſ. CXCIV. p. 376.

„ te, ad ſudorem proclivis, in lecto facile ſudare „ poteſt, nec leve inde juvamen ſentit, utpote „ eryſipelate haud raro vexata. Circa ſudationem „ tamen hoc ſingulare habet, ut, quoties vult, uni- „ cum ſaltem latus, & quidem illud quod liberum „ eſt, & cui non incumbit, ſudare obſervet, al- „ tero omnino ſicco manente: cum itaque ad ſu- „ dandum ſe componit, illi lateri incumbere ne- „ ceſſe habet, quod ſudore minus opus habere „ credit, alia demum vice, alterum latus etiam „ pari modo ad ſudandum debito ſitu diſpoſitu- „ ra. Mirum ſane videri poſſet, oppoſitum & „ minus incaleſcens latus ſudare, cum tamen ra- „ tioni & naturae magis conveniens videatur, la- „ tus magis calefactum, & reliqui corporis mole, „ praeter ſtragula, magis onuſtum, quam illud, „ quod reſpectu hujus lecto vel ſtragulis leviter „ ſaltem tectum eſt, ſudare debere ".

„ Alia mulier ſcirrhoſa hepatis duritie laborans „ ſe neque in lecto, neque in ſudatorio (quod „ more plebejo per ſe & proprio conſilio facere „ ſolita eſt) in latere & hypochondrio dextro ſu- „ dorem prolicere poteſt; etiamſi latus ſiniſtrum „ recte madeat & ſudorem emittat. Imo non ſo- „ lum dictum latus non ſudat, ſed quod mage mi- „ randum, dum totum corpus reliquum incaleſcit, „ & ſudore quaſi diffluit; hoc tamen latus ſemper „ ſiccum & frigidum manet, & patiens frigus haud „ leve illius lateris ſentit".

PECHLINUS (*p*) porro protulit, ſe vidiſſe una parte copioſos effluxiſſe ſudores, ubi dimidium corporis rigebat, neque lecti commoditate injectiſque ſtragulis, ut concaleſceret addùci potuiſſe, illaque quicquam adjuvaſſe.

Nec

(*p*) Obſ. Phyſico Med. pag. 342.

Nec omittendus eſt, quem in ſe ipſo fuit expertus mox laudatus Cl. HARTMANNUS (*q*), unius lateris ſudor, cujus hiſtoriam dedit ſequentem (*r*):

„ Praeter illud, quod dextrum latus peculiari„ter hic ſudor occupat, ſemperque & prior eſt „& copioſior illo, qui in altero ſub vehemen„tiori demum ſudatione exſtillat, hoc quoque „commemorandum eſt, ipſum hunc ſudorem vel „à leviſſima cauſa fieri effuſiſſimum. Atque haec „eſt omnis tam prodeuntis ejus, quam permanen„tis ratio. Quotiescunque lateri dextro immi„net, vel moderatiſſima corporis agitatione, vel „temperato admodum calore, vel attentâ quadam „animi meditatione, vel alia quacunque cauſâ, ſan„guinis motum etiam perquam leviter augente, „irritatus, primo in dextram genam ea, quae in„terno oculi cantho propior eſt, parte madorem „emittit parum percipiendum, mox vero celerri„me in guttas coit maximas, frontisque, & naſi, „& menti, & pectoris, & omnis reliqui corporis „partem exacte dimidiam largiſſimo latice perfun„dit. Qua durante illuvie illud quoque ſingulari„ter obſervandum eſt, adfectum atque ſudore „inundatum latus ad tactum frigere, alterum ve„ro naturali ſuo tepore eſſe temperatum. Tan„dem in ſiniſtro quoque latere ſudoriferi pori „ſuos humores emittere incipiunt; raro autem, „niſi ſumma ſit ſudatio, ultra madorem ſudant. „Cui quidem ſudoris hujus inſoliti effluentiae va-

(*q*) Vid. laudatam mox diſſert. p. 4, 36 & ſeqq., ubi in nota 25. ſudor ſiniſtram capitis partem poſt prandium & coenam occupans ex MARCELLO DONATO L. VI. *De Medica Hiſt. Mirabili*, & aliorum ſudorum particularium memorantur hiſtoriae.

(*r*) §. XVIII. & XIX.

„ varias nonnullas ſingulares ejusdem lateris infir-
„ mitates adjunctas ſentio, quarum aliquas, quae
„ ipſum ſudorem cognatione maxime attingunt,
„ mihique indeſinenter fere atque perpetuis inſul-
„ tibus infeſtae ſunt, conciſo expediam ſermone.
„ Potiora in caput intenduntur mala: quandoquidem
„ illud freqnentius ex ἡμικρανίας dolet; dexter ocu-
„ lus ſiniſtro multo hebetior eſt; dextram narem
„ inceſſabilis occludit gravedo atque deſtillatio, &
„ ipſa lingua, dextra ſui parte, veluti ſubnerva-
„ ta, difficilius movetur. Univerſo vero lateri
„ dextro, praeſertim ſcapulae, femori & tibiae,
„ continui incumbunt rheumatismi. Taceo fre-
„ quentes dextri pulmonis dolores acutos & veluti
„ punctim illatos, ipſosque inſignes ex dextro ſo-
„ lum hypochondrio labores." In inſequentibus §§. in hujus ſudoris cauſſas inquirit, quas, donec inferius fuerit perventum, nunc mittimus.

Non ita totum quidem corpus dimidium, at faciei ſolius dextrae partis omni tempore pomeridiano infeſtantem ſudorem in nobili quadam virgine Groningo-Omlandicâ abhinc aliquot annis Clar. Praeceptor VAN DOEVEREN obſervavit & mecum communicavit.

Obſervationis inſuper ſudoris magis particularis à poſteriori colli parte, cum aliquali cutis rubore & ardore erumpentis, copioſiſſimi, intra 24. horas hunc locum omnino deſerentis, dorſum poſtmodum eodem modo usque ad nates occupantis, ac reliquis intactis aliis partibus demum poſt aliquot dies evaneſcentis, Auctor eſt ANDRAEAS KELLNERUS (s).

§. IV.

(s) Act. Phyſ. Med. Vol. IV. Obſ. CXV. p. 452.

## §. IV.

*Calor Frigusque alterutrius lateris.*

Horum primas teneat partes ante jam memoratus PECHLINUS (*t*), qui haec effecta ſe obſervaſſe aſſerit „ vidimus , inquit , profecto , ubi unius „ lateris extremum erat frigus , alterum caluiſſe: & nonnullis interjectis addit , „ vidi & novi faemi- „ nam praecipuam, quae ad paroxysmos epilep- „ ticos identidem recurſantes dimidii corporis, „ à capite ad calcem, ſtupore & *frigore*, oculi ſi- „ niſtri coecitate , cordis concuſſione tam vehe- „ mente , ut & à vicinis audiri poſſet, afficieba- „ tur, immuni ſemper & feriante altero latere."

Calorem & ſudorem dimidii corporis à ſe ipſo obſervatum Clar. habet J. F. CLOSSIUS (*u*): Auctor hic, poſtquam J. SCHENCKII (*v*) memoraverat hiſtoriam Monialis , *cui, quotiescunque balneum ingrediebatur, aut levi aliquo exercitio corporis utebatur, toties inſignis quaedam rubedo in dextro latere à fronte usque ad pedes ſuboriebatur, ſiniſtro naturalem omnino colorem ſervante*, ſe puerum quendam Tubingenſem ſaepius vidiſſe ſcribit, „ qui, quo- „ ties incaleſcebat, in ſingulis dextrilateris par- „ tibus à capite ad calcem usque rubore, mado- „ re & ſudore perfundebatur, in ſiniſtro inte- „ rim latere nullam, neque coloris, neque calo- „ ris , mutationem patiens, ita quidem, ut, ju- „ cundo prorſus ſpectaculo, in facie, frontis, naſi, „ labiorum, menti, cet. partes, examuſſim dimi- „ diatas , verſus dextram calidas, rubicundas, madi-

(*t*) L. l.

(*u*) Spec. Obſ. miſcell. novae variolis med. meth. adjectum. Obſ. XXIII. p. 102.

(*v*) Obſ. Rar. Cap. de cute L. V. Obſ. V.

„ didas, verſus ſiniſtram autem frigidas, palli-
„ das, ſiccas, conſpicere liceret."

De febre particulari intermittenti, non quidem è perpendiculo, at horiſontali diviſioni parallelo, dimidium corpus occupante, mentionem injicit medicus D'AUXIRON in *Diario medico Gallico* (*x*): quae tamen non adeo proxime ſcopum meum tangit, ut eam ulterius memorare neceſſarium duxerim.

## §. V.

### *Eruptionum cutanearum variae ſpecies.*

De his variis variae Auctoribus recenſentur diverſitates, varii earum metaſchematismi. — Inter medicos, qui hac de re ſuas memoriae prodiderunt obſervationes, agmen hic ducat ſaepius jam laudatus PECHLINUS (*y*), qui in ſcorbuto, ejusque filiâ (ut dicit) ſcabie, an recte? non ſemel unum ſe latus ad perpendiculum maculis, puſtulis ulceribusque foedari, altero immuni, notare meminit.

Inſequatur hunc Cl. J. ERN. GREDINGIUS (*z*), qui noctambulonis, cujus hiſtoriam tradit b. LUDWIGIUS (*a*), diſſectionem tradens adnotat, mortui petechias nigras, violaceas, atroque-rubentis coloris, à lentis magnitudine ad acus puncturae tantum, circumferentiam, uberrima copia fere ſolam frontem, exceptâ ſuperiore humeri ſiniſtri parte, *quae unica eaque ſola* notabatur, occupaſſe.

Va-

(*x*) Journal de Medecine, Chir., Pharmacie &c., par M. ROUX. Tom, XXIV. Janvier 1766. p. 60.

(*y*) In ſaepius memorato Tractatu.

(*z*) LUDWIGII Adv. Med. Pract. Vol. II. Parte III. pag. 451.

(*a*) Ibidem. Vol. II. Parte II. pag. 289.

Variolas dimidiam tantum corporis ſuperficiem infeſtantes obſervavit ſolus, quantum ſcio, Pechlinus (*b*), qui dicit „ ſemel etiam notavi variolas denſas admodum unum duntaxat latus occupaſſe, dimidiato corpore plane intacto, aut ſummum unis alteriſque puſtulis maculato."

Variolas veras ſuccedere morbillis, & vice converſa, animadvertere non rarum eſt (*c*); nec rarum eſt, variolas vel morbillos petechias ſibi habere ſocias (*d*); cum putredinis gradu tantopere evecto, ut petechiae produci inde poſſint, nihil eas oriri facilius; rarius longe eſt, variolas veras cum morbillis eodem obtinere in corpore (*e*); rariusque adhuc, morbillos unum, alterum occupare latus.

(*b*) L. l. Corrigendus ergo hic error eſt, quem in citando commiſerunt Cl. Weberus (Obſ med. Faſcicul. I. pag. ult.) & Cl. Klein (Interpres Clinicus pag. 187.) ac ſi de morbillis in ſiniſtrà parte, dextra variolis, ad perdiculum diviſo corpore, meminiſſet Pechlinus. l. l.

(*c*) Cl. Valent. Ern. Cohausen in Act. Phyſ. Med. Vol. VI. Obſ. CIX. pag. 370. ſe in tribus fratribus, eorundem ſorore, aliisque binis ſubjectis, variolis morbillos ſucceſſiſe anno 1739. obſervaſſe teſtatur.

(*d*) Eodem in Libro pag. 217. ubi notantur variolae cum interſperſis petechiis.

(*e*) Dimerbroek Op. omn. p. 248, 302. Hiſt. XIX. Sidobre Tract. de Var. & morb. Harris de morb. Acutis infant. p. 486. & ſeq. obſ. VII. Weber Obſ. Faſcic. mox cit. p. 64. Variolas inſititias una cum morbillis conjunctas in variis aegris memorat Cl. Bergius, vid. *de Geneesk. Verh. aan de Kon. Sweedſche Acad. medegedeeld, vertaald door* J. B. Sandifort, Tom. III. p. 391. & ſeqq. nec non p. 478. & ſeqq. Cuicunque frequenti variolarum inſitioni intereſſe occaſio fuit (& huic multoties interfuiſſe Cl. mei Praeceptoris van Doeveren benevolentia glorior) obſervare potuerit, frequentem hanc concomitari eruptionem cutaneam, quam nomine *Rash* inſignire Brittanni, quae proxime ad levioris & mitioris ſcarlatinae ſpe-

tus variolas; quandoque tamen illum caſum obtinuiſſe palam facit obſervatio (*f*) Cl. BEHRENS, qui ETMULLERUM (*g*) obſervaſſe variolas in uno & in altero morbillos ſcribit.

Atque his in recenſendis obſervationibus hic ſubſiſto & ad alia transeo.

## §. VI.

### *Alterutrius lateris Ignis Sacer.*

Eruptio datur quaedam cutanea, per dimidiam corporis ſuperficiem à pectore & paulo ſuperius ad imum ventris plerumque ſeſe extendens, ibi locorum dolorem habens comitem, gravem plerumque adeo, ut tactum preſſionemve perferendo impares ſint aegri.

Morbum hunc dum apud ſcriptores perſcrutari volumus, tam diverſa nomina, tantamque nonnunquam ſymptomatum curandique rationis offendimus diverſitatem, ut neſcias fere quodnam ei tribuendum ſit nomen, atque ad quam ſpeciem referri debeat: modo enim morbum illum *Ignem* nominant *ſacrum*, *Ignem* modo appellitant *Sancti Antonii* (*h*); aliis ut PLINIO *Zoſter*, HOFFMANNO *Zona* dicitur, dum aliis iterum *Circellum* audit, *Circinum*, *Baltheum*.

Sym-

ſpeciem accedere videtur. Conf. DIMSDALE *on the preſ. meth. of Inoculation.*

(*f*) In Eph. N. C. l. ante citato.

(*g*) In collegio Pract. T. 2. pag. 403.

(*h*) ANT. DE HAEN Theſ. Febr. diviſiones ſiſtentes p. 114.

Symptomata, quae hominis in hoc morbo alienatas qualitates ſpectant, diverſa adeo ſaepe recenſentur, ut modo eam eruptionem à pectore ad imum ventrem infeſtare medium corpus perpendiculariter, modo Zonam ſpithamam latam dimidium hominem cingentem ſcribant Auctores: &, quod ad curam attinet, Medici ad eryſipelas hanc referentes ſpeciem hic antiphlogiſticam curam adhiberi volunt, & V. S., repetitam etiam quandoque ad quartam vicem, neceſſariam judicant; dum alii contra, etſi ad eryſipelas eam etiam quidem referunt, ad putredinem tamen humorum, ex quâ plerumque ſuam originem haec ſortiuntur ſymptomata, atque ad gangraenam, ipſis in puſtulis ſaepius naſcentem, viriumque hic praeſentem prolapſum attenti, potius antiſcorbutica, ſive antiſeptica praeprimis, hic adminiſtranda inculcant (*i*).

Quicquid horum omnium ſit, ego morborum tantum, qui unicum latus ſtricte dictum adfligunt, indagatione occupatus, ac ſollicitus parum, quodnam tribuatur illis nomen, modo detur aliqua denominatio, quae morbum, de quo agendi ſcopus eſt, determinat, huic adfectioni ex variis illis nominibus *Ignis Sacri* nomen retinui, per quod igitur cum Cl. ANT. DE HAEN (*k*) intelligo febrim, eamque non raro validam, cum dolore in alter

ter

(*i*) Confer hac de re omnino diſſert., quam hoc de morbo conſcripſit doct. MURK VAN PHELSUM in Libro, cujus titulus *Verh. over tot de Genees- en Natuurk. behoorende onderwerpen*, Tom. II. ab initio, ubi tam quoad etymologiam nominis variis auctoribus adhibiti, quam quoad alia hunc morbum ſpectantia, varia, eaque utilia, multo labore & ſeveriori cura congeſta reperies.

(*k*) Tract. mox cit. p. 115.

terutrius abdominis plagâ externa, cui ſe die I°, II°, vel III° ea in plaga adjungunt maculae rubrae, cito in modum grandeſcentes, dolentesque, variolis diſcretis majoribus perſimiles, ſed altiores, & racematim uno in loco ſecum cohaerentes, tum & interſtitia vacua magnaque inter ſe relinquentes.

Videamus jam, quaenam haec ante dicta confirmantia Auctoribus recenſentur ſigna. Doct. VAN PHELSUM (*l*) ex propriis obſervationibus eandem fere definitionem condidit. En ejus verba, quae hic Belgico idiomate adponere liceat! „ *De* „ *kwaal, welke ik thans bedoele, heeft zich aan* „ *my doen kennen door geelagtige genoegzaam als* „ *'t in Kinderen zoo zeer gewoone* Springvuur (ignis „ ſacer) *zich vertoonende, doorgaans bruin roode of* „ *zelfs blaauwagtige, doorſchynende, dog ſchielyk* „ *breekende, en hun inhebbend ſcherp vogt uitſtorten*„ *de, heete en zeer pynelyke, onregelmaatige blaas*„ *jes, onder en rondom welken de huid hoog rood of* „ *blaauwagtig (zelfs byna zwart) gekleurd is;* „ *doorgaans met bruyne of zwarte, uitgeholde, effe*„ *ne korſten opdroogende; meeſten tyd alleen aan eene* „ *der zyden, omtrend de plaatſen der lever of milt* „ *(zeldſaamſt egter, zo verre my tot nog toe geblee*„ *ken is, omtrend den lever) en daar boven, van den* „ *maagkolk af tot aan den Ruggraat toe, als een* „ *onregelmaatig breeden band zich uitſtrekkende.*"

Quod ſi porro decem obſervationes, quas diſſertationi huic adjunxit, perlegere quis cupiat, hanc rem confirmatam inveniet ulterius.

Nec omittenda ſunt, quae Cl. A. DE HAEN (*m*) inſuper hoc de morbo monuit. Apud Batavos ſe fre-

(*l*) Vid. Lib. mox citatum p. 3.
(*m*) L. mox cit.

frequenter, Viennae ſemel, hanc febrim obſervaſſe ſcribit, & interjectâ definitione, quam noſtram fecimus, ſic pergit: „ Perpetuâ lege, quan-
„ tum numeroſi me caſus docuere, non niſi alte-
„ rutrum abdominis latus occupant. Ita quidem,
„ ut anteriore parte nunquam lineam albam, nun-
„ quam à poſtica ſpinam transcendant. In hac
„ porro diſtantia, inter lineam albam & ſpinam
„ dorſi, ſunt nonnunquam paucae racematim co-
„ haerentium puſtularum inſulae, aliave multa, a-
„ liquando etiam ita, ut Zona ſpithamam lata,
„ paucis liberis plagis duntaxat relictis, medium
„ abdomen perfecte cingat. " Hiſce praeterea adjungit, ſe ſemel habuiſſe occaſionem Viennae hunc morbum auditoribus demonſtrandi, idque, quod hucusque nunquam ſibi videre contigerat, in ſolâ facie, quae obſervatio ſic ſeſe habet:
„ Vir odontalgiam paſſus dentem ſibi evelli cu-
„ rat, unde dolore curabatur quidem, ſed vacuo
„ in maxilla loco moleſtum ſibi aëris conquereba-
„ tur ingreſſum. Hoc totum, quod Anamneſis do-
„ cebat, quae tamen, num ſequenti malo faverit,
„ omnino dubito. Oritur poſt hac ipſi, media in
„ fronte, tuberculum, triduoque poſt febris hor-
„ rifica, cum tumore ſiniſtrae frontis, palpebra-
„ rum genaeque ejusdem lateris, tumque puſtu-
„ lae, quales ſupra deſcriptae, omnia loca exacte
„ implentes, ſed ultra mediam faciei lineam mi-
„ nime excurrentes. "

Addam nunc trigam obſervationum, quae mecum, dum hanc materiam meditabar, benevole communicatae fuere, quibus quartam, a me ipſo obſervatam, ſuperaddam.

Circa finem anni 1767. in annorum 74. femina Omlandica *Matje Hendriks* dicta, Groningae conſilium quaerente, exanthemata praedicta, dextrum la-

latus occupantia, ex quibus abhinc anno laboraverat & dimidio, obſervavit Clar. meus Praeceptor VAN DOEVEREN. —— Incipiebant exanthemata haec medio in pectore, ita ut mamma illius lateris hiſce infeſtaretur; axillam porro occupabant dextram, ejusdemque nominis ſcapulam, ac circa ſpinam ceſſabant dorſi. Malum hoc, quod Belgis *Rooderiem* audit, invaſit foeminam hanc cum febre & phlyctenis, dicta loca occupantibus, dein ſiccatis, doloroſis, prurientibus, furfuraceis. —— Pleniorem morbi hiſtoriam notandi occaſionem non praebuit unicum, uti fieri ſolet, de morbo conſilium.

Hac de materie cum animum ad ſcribendum adpuli, ac ea congererem, quae aliis hac de re fuerint obſervata, initio anni 1778. brevi tempore antequam ſtudiorum cauſſâ per *Angliam Galliam*que ſuſcepi peregrinationem, ſequentes per litteras mecum de *Igne ſacro* praxi ſuâ confirmatas obſervationes pro ſuâ, quâ utor, amicitiâ benevole communicavit Clar. VAN GEUNS.

„ Cum aeſtate praeterita amico, mihique jucundo, apud nos utereris hoſpitio, & interea indicares, te meditantem thema pro diſſertatione inaugurali incidiſſe cogitatione in affectiones morboſas, quae alterum C. H. latus potiſſimum occupant, relinquentes alterum liberum, memini quidem, de *Herpetis vel Eryſipelatis cutanei* illa ſpecie, *quae inde ab umbilico vel abdominis atque etiam thoracis parte anteriori media per alterum latus dispergitur, & ſpinam vel mediam dorſi attingit*, *absque eo ut medium corporis ſive anterius ſive poſterius fere transcendat*, verba me facere, tanquam à me ſaepius obſervata; ſed cum nunc inſtes ulterius, & ſciſciteris de obſervationibus iſtis meis etiam chartae, tuum in uſum, mandandis, moleſtior aliquo modo es. Non

 quod

quod haec me vidiſſe frequentius, etiam nunc ſic ſatis in mentem non recurrat, ſed quod ad conſcribenda ea, quae vidi, vix accinctus nunc ſim, propter pleniorum hoc de re annotationum defectum. Cujus tamen defectus cum tu rationes ſufficientes reperies in negotiorum multitudine turbisque, quibus *Groningae* medicinam facientem me nimium profecto obrutum fuiſſe & oppreſſum probe noviſti, excuſabis quidem facile, ſed & aequi bonique conſulere debebis, quae hac de re obſervata minus plene nunc proferam. Quam memoravi *Herpetis vel Eryſipelatis ſpeciem*, Zonam etiam dictam, vel Zoſterem, primum vidi, ante 12. fere annos, in muliere ultra LX. annos nata, habitus pinguis, phlegmatici & cachectici, eruptionibus cutaneis antea quidem expoſitae, ſed levioribus & brevi abeuntibus. Huic nunc, poſt prius perceptum dolorem ardentem, intolerabilem in cute, inde à ſterno per latus ſiniſtrum ad dorſi ſpinam, erumpunt puſtulae confertae, irregulares, aliquae pollicem fere latae, pleraeque minores, cum ignei ardoris ſenſu quaſi cutem corrodentis. Puſtulae hae occupabant idem illud thoracis latus ſiniſtrum, ſed neque ſternum, neque dorſi ſpinam ſuperſcandebant, ſcapulam autem totam tenebant, imo deſcendebant usque ſuper humeri mediam partem ſiniſtri ejusdem lateris. Phlyctenae iſtae brevi liveſcebant, plorantes ichorem limpidum, acrem, paucum, puris vix quicquam dantes. Cutis interjacens valde rubebat & calebat. Abiere hae intra octo dies in cruſtas aridas, nigrescentes, fundentes adhuc ichorem, & poſt alios octo dies decidentes totas, relinquentesque foveas latiores in cute.— Hic fuit morbi decurſus. Febris maxime adfuit in principio, deinceps vix notabilis. Rediit autem ad ſanitatem tunc haec mulier. — Tu nunc vide-

deris, quatenus cum hiſce conveniant, quae Celsus de *Herpete* ἐσθιομενα, vel potius de *Igne Sacro* tradit *Sect.* 3 & 4. *Cap.* 28. *Lib.* V. quae vitia utraque corpora fere ſeniora tentare ſcribit, aut ea, quae mali habitus ſunt; non tamen memorans illam alterius modo lateris affectionem. Quam tamen non in hac tantum muliere, ſed brevi poſt vidi in ſene, inde ab umbilico ad mediam ſpinam, cui & profundius vorabant ulcera & inducta gangraena cutem adeo lacerabant, ut ferendo non ſufficerent vires. Quem lethalem hujus mali exitum adhuc ante paucas menſes vidiſſe ſuccurrit in Matrona provectae aetatis, cujus cauſſa *Zwollam* arceſcebar, huic enim latiores etiam gangraenoſae plagae cutem, phlyctenis lividis foedam, perederant usque in pinguedinem, nec ſeſe ultra coxendicem ſiniſtram, inde à lumborum vertebris & oſſe ſacro ad umbilicum & pubem extendebant, deſcendentes etiam ſuper femore ſiniſtro. Rectiſſime vero haec mala vocaveris ἐσθιομενα. Eſt autem in his vitiis frequens denominationum confuſio, qua de re videri meretur Severinus *de abſceſſ.* L. IV. C. IX. §. 11. Neque aliena videtur *Zonae* vel *Zoſteris* denominatio, quae vitia ſtrictim ad Eryſipelatum ſpecies ab aliis referuntur. Vid. Hoffm. *Med. Syſt.* *Tom.* IV *Part.* V. *C.* V. §. 6, 7. tum & *Part.* I. *Sect.* I. *C.* XIII. §. 6. & ſubtilem Noſographum Sauvag. *Claſſ.* III. *Gen.* VII. *ſpec.* VIII. item *Claſſ.* I. *Gen.* VIII. *ſpec.* IV. tandem eximium illum *Chir. rationalis* ſcriptorem Platnerum §. 166 & 919. Sed obſervatis meis illud adhuc addendum habebam, idque tuam propius in rem, in octo vel decem hominibus utriusque ſexus, quibus herpetis hoc genus me tractare probe memini, conſtanter obtinuiſſe, ut unum modo corporis latus adfectum fuerit, rariſſime & anterius & poſterius plagas her-

petoſas medium corporis transmeaſſe ne vel digiti latitudinem: porro & pectus & abdomen adeo conſtantes hujus mali ſedes eſſe, ut ultra truncum & forte vel humerum vel femur vicinum, non prodire hoc vitium prorſus crediderim, donec his ipſis diebus, urbis noſtrae *Hardervici* Pharmacopoeum curandum nactus ſim, cui caput infeſtavit malum, excepta ſede in ceteris Herpeti proſus ſimile. Scilicet huic, ſexagenario jam majori, prius cum ardore inſigni & rubore cutis cranii capillata dextri lateris, frontis, & palpebrae oculi dextri, intumuit ſpecie eryſipelatis, mox papulae & puſtulae largiores iis in locis elevantur, quae octiduo in cruſtas aridas, nigras abiere, cum tumoris ſubſidentia, & nunc, cum haec ſcribo, ſolvi ac decidere incipiunt. En verum noſtri mali charactera! quae quum vidi, eo magis etiam me inſtigarunt, ut priſtinas meas obſervationes revocarem, & una cum hac reſponſi loco ad litteras tuas perſcriberem. Sedes mali in hoc optimo viro eſt accurate inde à dextra parte nuchae juxta ſuturae ſagittalis latus dextrum, ſuper medium frontis & oculum dextrum, qui etiam prae tumore in principio occluſus fuit. Omnes praeterea, in quibus hoc malum vidi, fuere homines provectioris aetatis, ſaltem ultra L. annos, excepto forte (nam obſcure recordor) uno juniore. In omnibus praegreſſa fuerat prava quaedam ſuccorum temperies, major, minor in hoc illove, &c."

Haec qui paulo curatius conſiderat, percipiet facillime, quam pulcre morborum hiſtorias genuinas conſtituat maſculum illud & naturae convenienter obſervandi ſtudium, & quantum haec cum ante dictis hoc de morbo quadrent hiſtoriis.

Morbi hiſtoria, quam per Litteras eodem fere tempore ad me miſit doct. À ROY, inter Amſtaelo-

lodamenſes Practicus nunc egregius, ita ſeſe habet: „ Die 27. Auguſti 1775. vocabar ad matronam quandam, ſexaginta & aliquot annorum, ratione aetatis conſtitutionis ſanae ac nullo notabili morbo debilitatae, quae abhinc tribus quatuorve diebus inſignes in ſiniſtro pectoris latere patiebatur dolores, qui tamen non erant continui, ſed quandoque remittebant, imo nonnunquam plenariam intermiſſionem habebant. Libere reſpirabat aegra, non tuſſiebat, neque in inſpiratione dolores augebantur. Cutis adfectae partis ad adtactum erat ſtricta & calida. Pulſus ſiniſtri lateris durus, fortis & ſimul aliquando nonnihil contractus notabatur. Summas circa praecordia habebat anxietates, & nunc vagis horripulationibus, nunc levi calore totum ipſius corpus continuo ac viciſſim afficiebatur: imo in ſudores facile deducebatur, ſimul ac enim lectum petierat, illi erumpebant, aſt quum ſic dicti dolores intolerabiles evadebant, lectum diutius tenere non poterat. —— Lingua erat ſqualida, halitus foetebat, languebat appetitus, ſitis erat magna, alvus adſtricta, foeces nigricantes, foetidae, acerrimae, ingentem quippe ani pruritum ac teneſmum excitantes; urina quoque erat pauca rubra & acris valde.

In cauſſam hujus morbi inquirens, de eadem aegrotam ſedulo interrogavi, vix autem ego aliam detegere, nec illa indicare, potuimus, quam quod in cubiculo, cujus feneſtrae undiquaque, ut aër renovaretur, apertae erant, aliquamdiu remanſerit, indeque perſpiratio forte impedita fuerit. Caeterum etenim ſanitas ipſius hucusque illaeſa ſemper fuit, nulla unquam incommoda, niſi vagos dolores arthriticos fuit perpeſſa, imo ne vel variolas, nec morbillos, nec alius generis exanthemata habuit. —— Abhinc tantum aliquot annis omni aestate

tate in exteriore parte femoris dextri moleſtum valde pruritum ſenſit, qui vero hoc anno non adparuit, ſed ejus loco totius corporis cutis adeo ſenſilis fuit, ut adtactum paulo rudiorem ferre non potuerit. An acris quaedam materies cum perſpiratione inſenſibili exſudari ſolita, hac impedita, retropulſa & ad ſiniſtram pectoris partem delata, ibi dictos dolores jam produxit?

Indicationem feci diapnoicam, aperientem, temperantem ſimulque leniter laxantem, eumque in finem apozema ex Rad. 5. aper. Flor. ſamb. Fol. ſennae, Rheo, Tamarind. cum ſale Polychr. praeſcripſi, cui ſtrictam ac tenuem diaetam adjunxi.

Sequente die inveni dictos dolores pectus ſiniſtrum deſeruiſſe, ſed nunc humerum totumque brachium ejusdem lateris eâdem cum intenſitate occupaſſe, alvum aliquoties motam fuiſſe; caeterum eadem eſſe omnia ſymptomata, unde apozema repetii.

Tertio die omnia adhuc erant eodem in ſtatu; urina majore copia fuerat evacuata, ardens tamen adhuc & flammea; alvinae vero foeces fuerant minus acres & foetidae. — Continuata ſunt eadem remedia. — Mane die 30 redeunti narravit vetula, ſeſe heſterno die poſt receſſum meum leviter febricitaſſe, & poſt febriculam illam, quae horripulationibus praecipue notanda fuerat, innumeras maculas rubras in conſpectum veniſſe. Examinavi hasce, illasque vidi ſane eſſe innumeras, variae magnitudinis (aderant quippe, quae denarium magnitudine ſuperabant) ruberrimas, inque iis plurimas puſtulas, maximam partem confluentes, rubras, pellucidas, acri quodam liquore repletas, intolerabilemque pruritum excitantes conſpexi. Sed, quod notatu eſt digniſſimum, exanthemata illa nullibi niſi in pectoris ſiniſtra parte ſub axilla, in humero ac

ac toto brachio ejusdem lateris, partibus hiſce ſimul plus minus tumentibus, apparebant. Pulſus nunc erat multo plenior, mollior; calor cutis minus urens; anxietates praecordiorum nullae, & ſitis naturali nequaquam major; uno verbo, multo melius nunc valebat aegrota. Sed querebatur una cum eruptione exanthematum fauces valde dolere cepiſſe, & revera hae inſigniter rubebant; quem in finem itaque gargarisma ex *Infuſo Fl.* ſambuci cum aceto & melle paratum praeſcripſi, & pariter idem apozema, unde optimos videbam eventus, iteravi. — Puſtulae die 31. inſigniter increverant, aſt non erant adeo rubrae, neque etiam maculae tantopere rubebant, pruritus ſimiliter non erat adeo magnus, & inflammatio faucium erat multum ſedata. Verum querebatur nunc iterum de dolore atroci, pungente ſub axilla dextra, ſimili illi, qui ante aliquot dies exanthematum eruptionem praeceſſerat. — Pulſum hujus lateris tangens inveniebam eum duriorem, velociorem & nonnihil contractum, dum jam in ſiniſtro latere mollior erat pleniorque, ita ut in dextro latere exanthemata nunc eruptura crederem: quare eadem praeſcripſi remedia.

Verum 1 Septembris dolor dextri lateris diſparuerat, & nullum exanthema in illo adparebat, pulſu etiam in hoc brachio nunc rurſus molliore ac pleniore, cum jam denuo ſiniſter pulſus durior & contractus magis tangeretur. — Sed heſterno die, circa veſperam, nova iterum aegrotam invaſerat febricula, quaſi ſuppuratoria, nam maculae omnem fere rubedinem nunc amiſerant, imo multum diſparuerant, & plurimae puſtulae non tantum majores, aſt etiam flaviores conſpiciebantur: in pectore quoque (ſine dubio per attritum veſtimentorum) jam multae ruptae erant, & materiem ſero tenaciorem ac pure tenuiorem, quodammodo flaveſ-

D cen-

centem fundebant. Ruptae puſtulae ſubſidebant, neque ullum amplius pruritum cauſſabant, ita ut aegrota nunc multo tranquillior eſſet, & levem tantum pateretur pruritum ex puſtulis nondum apertis, vel à novis denuo exortis, nam hoc mane novas nonnullas diſcretas puſtulas in facie, auricula, labiis, mento, manu digitisque ſiniſtri lateris conſpiciebam, quas febricula heſterna forte etiam erumpere fecit. — Appetitus jam vigebat, alvus bene reſpondebat, & urina multo minus rubra acrisque emittebatur. — Idem idcirco apozema, ſed ſtrictiori doſi, praeſcripſi.

Sequente die omnia adhuc bene ſuccedebant. Plurimae puſtulae iterum tumidiores ac quaſi maturae erant. Maculae omnes plane evanuerant. Optime ſeſe gerebat mulier, & leve tantum adhuc incommodum ex nondum maturis puſtulis patiebatur. — Continuavi eadem remedia.

Die 3. puſtulas, quae nondum ruptae fuerant, ut in brachio, multum exſiccatas inveni. In pectore autem (ubi maximae omnium fuerunt, piſorum quippe nonnullae magnitudinis) humore, quaſi purulento, ſaltem multo, quam antea ſpiſſiori, heri adeo diſtentae fuerunt, ut collum cumque collo caput flecti vix potuerint. Sed hac nocte (procul dubio per agitationem corporis & attritum veſtimentorum) illae ruptae ſunt, materiemque valde tenacem eructarunt. — Verum querebatur iterum hodie mane de dolore pungente in brachio, pectore & humero ſiniſtris, ſed tantum ſuperficiali, & in cute ſola habente ſedem. — Pulſus hujus lateris quoque durior erat, dum in oppoſito contrarius obſervabatur.

Die 5 & 6. puſtulae ſenſim magis magisque exſiccabantur, cruſtae decidere incipiebant, & omnia citam promittebant curationem.

Die

Die 7. dolor ille punctorius brachii, pectoris & humeri ſiniſtri, qui 3°. hujus menſis notabatur, plane evanuit, inprimisque imminui cepit, quando adfectae partes cruſtis tegebantur, & tunc etiam ſenſim ceſſavit omnis calor urens, qui, praecipue initio morbi, aegrotam immaniter vexavit. — Pulſus ſic quoque ad naturalem rythmum in ſiniſtro brachio ſenſim rediit, & hodie nulla amplius differentia inter utrumque carpum obſervari poteſt. Cruſtae ſiccatarum puſtularum adhuc continuo decidunt; notandum autem, nullam rubedinem in cute poſt elapſas cruſtas remanere, & nullam ne vel minimam quidem puſtulam in dextra corporis parte adparuiſſe.

Sanatam igitur ſic à morbo ſuo exanthematico feminam hancce judicavi: ſaepe autem poſtea ex illâ, ejusque conſanguineis audivi, in partibus, quae exanthematibus obſeſſae fuerant, ſed praecipue in pectore, tantam ſenſilitatem ſuperſtitem manſiſſe, ut vel minima aëris viciſſitudo, leviſſimaque tempeſtatis mutatio dolorificam valde ſenſationem in iisdem ad hoc usque tempus producat.

An itaque morbus hicce, qui certe in decurſu ſuo ſingularis admodum erat, fuit vere varioloſus, quo nunquam antea laboraverat foemina? Ex iis, quae exanthematibus anteceſſerunt, exque iis, quae durantibus hiſce, poſtque ea acciderunt vix credibile. An fuit Varicella CULLENII? Eſſent, qui adfirmarent, darentur quoque, qui ad hanc ſententiam non facile ſe deduci ſinerent."

Me judice (quod tamen pace doct. Viri dixerim) morbum hunc ad *Ignem Sacrum* eſſe referendum, ex loco, quem illi adſignavimus, patere videtur; nec me in hiſce ab juſto tramite deflexum crediderim: hiſtoria etenim ea ſi cum praecedentibus conferatur, perſpicienti, ni fallor, pa-

tebit hunc morbum inter & *Ignem ſacrum* quoad ſymptomata pathologica tantam eſſe convenientiam, ut huic titulo adponendum illum eſſe conſentiat facile.

Ipſe Ego Londini A°. 1778. eundem *Ignem ſacrum* in dextro pectore, brachio & ſcapulae parte ejusdem nominis homini, alio caeterum laboranti morbi genere, videre memini.

Atque exantlato ſic ſecundum ordinem propoſitum labore ad alia nunc procedere poſſem: antequam autem huic operi me accingo, addere adhucdum liceat obſervationes aliquas, ante dictis titulis haud ita commode inſerendas.

## §. VII.

*Inflammatio ſiniſtri Pulmonis, cum vaſorum tenuis Meningis diſtenſione ac turgescentia ſiniſtri lateris.*

Obſervatio MORGAGNII eſt (*n*): Figulus nimirum in febrem incidit & dolorem ſiniſtri lateris vehementem. In noſocomium exceptus eſt, tum ſanguis ſtatim de ſiniſtro cubito emiſſus. Quarto die febris ſe valde intendit. Sexto delirium accedit vehemens. Pulſus erat frequens, aequabilis: reſpiratio difficilis, nulla expectoratio. Mittitur ſanguis è talo. Poſtridie moritur.

In cadavere praeter alia haec, ad noſtrum ſcopum inprimis inſervientia, inveniuntur: „ in recluſi thoracis cavo dextro omnia ſana, aſt in ſiniſtro multa „ aqua ſubflava. Apparuerunt per faciem pulmonis „ ſtrata, quaſi fruſta craſſae cujusdam, ut videbatur, „ mem-

(*n*) Lib. I. de S. & C. morb. Epiſt. Anat. Med. VII. Art. II.

„ membranae flavae, & facillime lacerabilis, ut,
„ quamvis reticulare quoddam opus in ſe intextum
„ repraeſentaret, concretionem eſſe cenſuerim
„ craſſiorum particularum, in ea flava aquâ natan-
„ tium. Erant ejusmodi ampla fruſta per faciem
„ praeſertim interiorem lobi pulmonis interioris,
„ itemque inter lobum & lobum. Lobus autem
„ is interior durior erat, ferme totus, ſed gravis,
„ diſſectusque ex denſa inventus eſt ſubſtantia com-
„ pactus, non pulmonaris, ſed hepaticae ſimili,
„ ut vel me tacente, peripneumonia affectum in-
„ telligas."

Ad cerebri denique ſectionem cum fuerit pro-
greſſum, ſequentia, quae nos attinent, inventa
ſunt. „ In ſinibus laterali ſiniſtro, & quarto, i-
„ temque in primo, & in venis aliquot cum hoc
„ communicantibus polypoſam concretionem albi-
„ dam, firmam, exilem conſpexi. Vaſa autem re-
„ liqua, per omnem tenuem meningem repentia,
„ etiam qua cerebellum conveſtit, adeo ſanguine
„ diſtenta, ut trunculi turgerent, minimi autem
„ ramuli luculenter conſpicui. Haec vero in ſini-
„ ſtra duntaxat parte ad hunc modum ſeſe ha-
„ bent, &c."

## §. VIII.

*Salivatio ſolius dextri lateris.*

Singularis haec Clar. Car. Aug. Bergeri (o) obſervatio eſt, quae ſic ſeſe obtulit. Studioſus quidam, ut ferales pediculos enecet, unguento utitur mercuriali; inde brevi poſt ſub ingenti & continuo pruritu ardenti apparent magnae ru-

(o) Vid. Commerc. Litt. Noricum Anni 1742. p. 17.

rubicundae & elatae papulae ilia, regionem hypogaſtricam & inguinalem obtegentes. Inſtare ipſi ſalivationem pronuntiat hic Medicus, ut ſequenti etiam evenit die. „ Notatu digniſſimum vero, &
„ quod (ait) veſtris philyris inſerendum judico,
„ hoc erat, quod haec omnia in uno duntaxat latere
„ obſervarentur, capitis dextra pars doleret, den-
„ tes utriusque maxillae in dextro latere duntaxat
„ vacillarent, ſaliva è dextro palati latere proflue-
„ ret, membrorum dolor in dextro latere urgeret,
„ ſiniſtro plane intacto relicto. Poſt quatuordecim
„ dies ptyaliſmus ceſſat, & aeger ſanitati reſtitutus,
„ ſibi nunc de variis aliis adfectibus v. g. tuſſi ſic-
„ ca, diuturna, ſimul per hanc curam mercurialem
„ ſublatis, impenſe gratulatur."

## §. IX.

*Tumor brachii ſiniſtri inſignis, una cum tumore & duritie teſticuli lateris ejusdem.*

Paucis abhinc ſeptimanis Leidae hunc caſum videre mihi contigit. In puero ſex ſeptemve annorum ſubito admodum, & ſine cognita quadam praegreſſa cauſſâ, enatus fuerat tumor in Brachio ſupra articulum cubiti, qui primum parvus, paulatim increvit ad inſignem magnitudinem, ita quidem, ut circulationem humorum per manum impediens, hanc oedematoſam & ipſius cutis circumferentiam, quâ tumorem tegit, lividam reddat, nigricantem. Cujusnam ſit naturae ille tumor dubium adhuc eſt quam maxime: utrum enim ex oſſis ipſâ luxuriet ſubſtantiâ, an ex ejus ſubnaſcatur perioſteo; vel aliis fontibus utrum proveniat, omnino incertum eſt. Aderat praeterea glandularum axillarium illius lateris, & quae ad venam jugularem pronuntur, intu-

tumeſcentia magna. Sed quod in illo caſu, quod obiter tantum quoad noſtrum ſcopum hic adduco, ſingulariſſimum, eſt quod ejusdem lateris Teſticulus durus etiam eſt valdopere, tumeat inſigniter, doleat & duplam ſaltem habeat dimenſionem, dum alterius lateris teſticulus omnino ſanus eſt. Hanc obſervationem eo magis memorandam credidi, cum latus totum dextrum illius pueri perfecte ſanum eſſe, ac labe nulla adflictum hactenus deprehenditur.

## §. X.

*Nephritidis ſymptomata, e directo caput afficientia, alterutro laborante Rene.*

Horum quidem primus, quantum novi, meminit TH. BARTHOLINUS (*p*), qui de hiſce ſequentia retulit: „ Sed quia circa calculoſos verſa„ mur, miror obſervatam in nonnullis hic HAF„ NIAE calculoſis ejusdem lateris hemicraniam, „ quâ parte renum calculus ſe urinae viis oppoſuit, „ doloremque fecit. Vidi id apud Amicos duos. „ An ſero in caput reſtagnanti id imputandum, „ vel membranarum ejusdem lateris ille ſit conſen„ ſus, non vacat jam expiſcari. "

Inſequitur hunc BAGLIVIUS, qui illam obſervationem confirmavit: ſcilicet ſe ſaepius obſervaſſe ſcribit, quod, dum calculus alterum infeſtaret ren, hic in conſenſum quaſi traxerit illius lateris ſyſtema vaſculoſum, ita ut pulſus mutatione in carpo directi lateris, quonam in rene lateret calculus, indicaretur. Nec vaſculoſum tantum ſyſtema de calculo hocce participare, verum & nerveum ſyſtema in conſenſum hic trahi per directum, confirmat, quae de hemicraniâ in

(*p*) Epiſt. Medic. Cent. IV. Ep. VI. pag. 26. in fine.

in nephritide calculoſa alterutrius ſubjunxit lateris: loco eodem haec habet: „ Quare ſaepe obſervavi, in calculoſis pulſum manus reni adfecto reſpondentis parvum eſſe depreſſumque, communicata doloroſa oſcillatione contractioneque è renibus ad vaſa è directo. In nephritide quoque, quâ parte eſt calculus, eâdem ſuccedit in capite haemicrania, ut vidi in ſene ad forum Farneſiorum, quâ reſpicit ripam Tyberis (q). "

## §. XI.

### *Hemizomatis Necroſis.*

Memoravit hanc doct. Sal. Theoph. de Meza in *Actis Societ. Med. Haunienſis* (r), ſequentibus verbis: „ Ante aliquot menſes occurrit ad me femina è plebe, foetum monſtroſum, ut dicebat, nec antea ſimilem forſan editum oſtendens. Video autem maſculum dimidio corporis latus ad dextrum perfecta Necroſi adfectum, brachium ſcilicet, thoracis dimidium abdominisque, crus peſque totus, quin & ſcroti dimidia pars exſiccata, indurata & nigra, Mumiae ad inſtar, dorſum vero totumque latus ſiniſtrum naturaliter ſe habebant. "

Hae ſunt obſervationes, quae mihi occurrerunt: nullatenus dubitanti, quin apud Auctores hinc inde plures notatae ſint: quicunque illas, iisve ſimiles oculo viderit accuratiori & recte perpenderit, humanae noſtrae machinae mirabitur ſane effecta, ac quam forte initio de *Homine duplici* rejecerat opinionem, largietur facilius. At facta haec medi-

ca,

(q) Oper. omn. p. 335 in fine.
(r) Vol. I. p. 141. *Hauſn.* 1777. in 8°.

ca, etſi demonſtrativa ſint, ac de quibus ſermo fuit, convincant, majorem tamen ſortientur certitudinem, ſi, quae ad ſuam ſalutem intendit Natura, Symptomatum activorum genus particulare huic adjiciantur demonſtrationi. Hoc etenim dum ſatagam, patebit, non ita tantum noſtrum eſſe corpus comparatum, ut morbis quandoque ejus dextrum tantum adficiatur vel ſiniſtrum latus; at ita ſimul illius Naturam regere morborum ſolutiones, ut quae dextro in latere nonnunquam particulari morbo adfligantur partes, eodem etiam in latere ſolvantur evacuatione critica, aut, ſiniſtras ſi ingruat malum partes, eodem in ſiniſtro corpore dijudicentur criſibus. — Haec ut evincantur, huic Capiti, etſi morbos proprie contineat Dimidii Hominis, nunc addere liceat, quî quandoque eveniat, ut viſcere aliquo in parte dextra vel ſiniſtra adfecto, illius morbi ſolutio producatur per partium rectitudinem.

## §. XII.

### *Evacuationes Criticae alterutrius Lateris, inprimis per Nares dextras vel ſiniſtras.*

Mirifica ineſt Naturae C. H. materiem morboſam per emunctoria varia expellendi vis, attentis quibusvis Practicis probe nota: videturque & ipſa non ſine delectu quodam, determinatisque motibus, per determinatas alterutrius lateris partes, ſuas excitare evacuationes.

Inter determinatas illas à Natura medicatrice excitatas evacuationes merito prae ceteris illa pertinet, quâ morbos Hepatis & Lienis haemorrhagiâ narium terminari obſervatum eſt, ita quidem, ut, ſi in emolumentum cedat laborantis, adfecto hepate illa

proveniat ex nare dextra, lien ſi fuerit obſeſſus morbo, ſiniſtra ex nare prodeat epiſtaxis.

Suos natales haec Hippocrati debet obſervatio, qui ſcribit (*s*), „ Quae exadverſa & prepoſtere fiunt ſanguinis eruptiones, malae ſunt, „ velut in lienis tumore, ſi ex nare dextra effluat" & alio loco (*t*), „ In directum (*) laterum dolor, „ praecordiorum diſtenſiones, lienis tumores & ex „ naribus eruptiones fieri debent." — Refert etiam Cous (*u*) de Ariſtaei uxoris fratre, quod ſuſpicionem aliquantulum praeberet lienis male adfecti, cum ſcilicet ſanguis ex nare ſiniſtra crebro fluxerit, atque ita ſubinde fuerit judicatus.

Hanc obſervationem practicam clarius adhuc dum propoſuit Galenus binis in locis, quorum prior (*v*) ſequentia continet: „ Solvit autem „ Lienis & Hepatis inflammationes ſanguis è naribus profluens, cum haec viſcera una cum acutis „ febribus habent inflammationes. Et omnes, quae „ in praecordiis fiunt, calidae atque acutae inflammationes fluxu ſanguinis judicantur. Oportet „ autem per directum fluere ſanguinem, ex dextra „ quidem nare, hepate patiente, vel locis in dextris „ praecordiis poſitis, ex ſiniſtra autem liene & „ locis vicinis." — Et, paucis interjectis, criſeos differentiam adhuc quandam adnotat, utrum ſcilicet devexam, an convexam hepatis partem occupet inflammatio; ſic enim pergit: „ Hepatis vero devexae quidem partes inflammationem patientes „ tri-

(*s*) Lib. I. Praedictorum n. 125. p. 78. Ed. Foëſ.
(*t*) Lib. VI. de Morb. Vulg. Sect. II. Aph. X.
(*) Quid intelligendum ſit per *directum*, ejusdemque ſignificatus Graecorum vocem κατ' ἴξιν, videatur inferius.
(*u*) Epid. Lib. II. Sect. II. p. 1012.
(*v*) Lib. III. de Criſibus Cap. III. Utor Editione cum Indice Brassavoli.

„ tribus praecipue modis criſis obediunt, fluxibus „ ſanguinis è nare dextra, & ſudoribus bonis, & „ urinis abundantibus. Convexae autem partes ex-„ crementis alvi biliofis atque ſudoribus, nonnun-„ quam vero & vomitibus." —— Alter locus (*x*) huic dicto majus adſtruit adhuc robur: „ Quaenam „ (inquit) ſunt illa, quae ducere oporteat? Nem-„ pe quae neque judicantur, neque integre ſunt „ judicata: haec igitur per quam partem ſint eva-„ cuandae docet, duplicem nobis dans intentio-„ nem, & ipſam partis naturam & humoris incli-„ nationem. Ad quem enim locum ex conferen-„ tibus vergit, eo ducere convenit. Sunt autem „ evacuationibus conferentia loca, inteſtina, ven-„ ter, veſica, uterus, cutis univerſa: ad haec, „ palatum & nares, quin vel cerebrum expurga-„ mus, vel per profluvium ſanguinis fit excretio: „ praecipueque ſi κατ' ἴξιν, hoc eſt, per directum „ ad locum patientem. Nam quae contra fiunt pro-„ fluvia ſanguinis, mala ſunt." Hactenus GALE-NUS.

Hanc eandem obſervationem poſtmodum memorarunt confirmaruntque Recentiores, inter quos & Nuperi recenſendi ſunt Viri Cl. BOERHAVIUS (*y*), SWIETENIUS (*z*), OOSTERDYKIUS (*a*), & ANT. DE HAEN (*b*).

Non

(*x*) Comm. I. GALENI in HIPP. Sect. I. Aph. XXI. *Quae ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere convenit.* Conferri etiam poteſt Comm. Aph. praeced.

(*y*) De Cogn. & Cur. morb. Aph. 923. num. 4.

(*z*) Comment. ad eundem locum, Tom. III. p. 99. & Tom. II. pag. 462.

(*a*) L. cit. Lib. IV. Morb. Part. Cap. I. §. XII. & Lib. VII. Cap. I. §. VIII. num. 1.

(*b*) Rat. Med. Parte X. pag. 309 & 310. & alio loco

 T. XI.

Non me fugit, eſſe quosdam, & eos inter forte quodammodo numerari poſſe Swietenium (*c*), qui aſſerunt, aut quandoque regulam hanc exceptionem pati, aut poſt detectam circulationem hanc Hippocratis aliorumque prognoſin non magni eſſe faciendam. Ne concludant (quod illorum pace dixerim) praecipitantius, quam verius: non enim exceptione aliquâ mox regulae generales tollendae ſunt, nec ordinariae Naturae in ſanis aegrisve leges fortuita quâvis aberratione infirmantur (*d*); & licet conceſſerimus quandoque hic diverſum tenuiſſe iter Naturam, eorumque ſimul aegrorum proſpexiſſe ſaluti, alia tamen phaenomena Hippocrati, Fransisco Solano de Lucque & Jacobo Nihellio recenſita docent maxime in natura N. C., ejus legibus, & ſyſtematis vaſorum actionibus, harum excretionum quaerendam eſſe originem. Nimirum Hippocrates (*e*) memorat, quod Lyciae, quae veratri potione ſanata ad extremum ſplenem habuit magnum, cum dolore & febre,

T. XI, Cap. I, pag. 6, Ed. Vindeb. ubi loquitur de ſubſidentia tumoris lienis poſt febrim intermittentem, poſt largam naris ſiniſtrae haemorrhagiam. Cum his conf. Hipp. Praed. L. I. n. 18.

(*c*) L. cit. Tom. III. p. 101., ubi dicit „ Forte tamen quandoque haec regula & exceptionem patitur. Heraclidae conjugi (Hipp. Epid. Lib. VII. Aegrot. 134. Chart. Tom. IX. p. 599.) febre acuta laboranti, tertia die morbi ictericae factae, quarto die ſanguis ex nare ſiniſtra probe effluxit, & ſeptima die integre judicata fuit. Verum quidem eſt, quod huic mulieri & menſtrua ordinatim fluxerint, & ſimul ſudores toto corpore manantes & criticos habuerit, adeoque morbi ſolutio ſoli per narem ſiniſtram haemorrhagiae tribui non debeat."

(*d*) Conf. Venerandum Senem, ſummum Pathologum Cl. Gaubium in Inſt. Path. Med. §. 892. in fine.

(*e*) L. II. Epid. Sect. II. p. 1015.

bre, vena, quae ad ſplenem eſt in cubito diſtendebatur & plerumque quidem pulſare videbatur (*f*). SOLANO DE LUCQUE poſtquam obſervaverat Antiquorum *pulſum dicrotum*, Latinis *bis ferientem* dictum, haemorrhagiarum narium eſſe ſignum, memoravit, ſanguinem ex nare illius lateris, in quo ſecundus ictus evidentior eſt, majori erupturum abundantiâ, ſi ſecundus arteriae ictus in uno carpo evidentior ſit, quam in altero (*g*).

NIHELLIUS, qui SOLANIANA experientia incitatus eſt, easdem obſervationes continuavit, obſervavitque in homine colore cachectico, febre quotidiana, obſtructis hypochondriis laborante, qui 10 Octobris 1737. tota die lancinanti temporum dolore adfligebatur, cum dextrae naris pruritu exiguam, majorem tamen, quam praegreſſa die, ſanguinis quantitatem naſo expulſam. Pulſum 13°. dicrotum deprehendens, haemorrhagiam exigua quantitate & ex dextra nare naſcentem vidit, ac horis aliquot elapſis, pulſum explorans ut prius in dextro, quam in ſiniſtro, evidentiorem ſenſit (*h*).

Haec

(*f*) Doct. J. H. RAHN, in egregia & perpulcra diſſertatione *Mirum inter caput & viſcera abdominis commercium* exponente Goettingae 1771. 4°. p. 40., hunc ipſum HIPPOCR. locum recenſens, pulſus plenioris & frequentioris meminit, citatque editionem LINDENIANAM: verum nec ex LINDENIANA (Tom. I. p. 693.) nec ex CHARTERIANA (Textu XXIV. Tom. IX p. 142.), nec ex ipſo textu Graeco (exſtat enim tantum *καὶ ἡ Φλὲψ ἡ κατὰ σπλῆνα επ' ἀγκῶνι ἐτέτατο, καὶ ἔσφυζε μὴν πολλάκις*), niſi diſtenſionem venae pro pleno pulſu intelligere velis, id colligendum autumo.

(*g*) Vid. Ejus novae rareque Obſerv. circa criſium praedictionem ex pulſu, latinitate donatae à doct. WILH. NOORTWYK Cap. I. §. VIII. p. 4. Hujus obſervationis etiam meminit SWIETENIUS Tom. II. p. 463.

(*h*) Alio loco (ibid. p. 118 & p. 122.) differentiae

 pul-

Haec nonne dictis meis robur addunt? videtur. Sed objicient forte illorum adverſarii, nihil hic allata probare exempla, cum & SOLANO (*i*), & NIHELLIUS (*k*), quandoque pulſum hunc in praedicendis narium haemorrhagiis fefelliſſe arguant. Largior hoc lubenter, dum tamen non ſequitur, id, quod hic tantum innuo, inde deſtructum iri: nimirum ex ante dictis manifeſtum eſſe, *in toto genere vaſculoſo illius lateris, in quo haeret vitium, mutationes poſſe oriri, quae non ita obſervantur in altero.* Hoc omne eſt, quod volui &ex hiſce certum habeo.

# CAPUT II.

## EXPOSITARUM OBSERVATIONUM HARUMQUE PHAENOMENORUM CAUSSAS INDAGANS.

### §. I.

*Explicationis cauſſarum Difficultas.*

„ Res eſt minus explorata, quo modo, cum ſan-
„ guis aequali connatu, certe ſine ullo delectu,
„ totum corpus ſingulasque ejus partes diluvio ri-
„ get ſuo, tamen in nonnullis duntaxat ſanguinis
„ vitium redundet, idque tam exacta intervalli lo-
„ ci-

pulſus dicroti, quem *Martinellum* dixit AVICENNA, in alterutro carpo memorantur, absque tamen ut additum fuerit, num unica ex nare, aut ex quanam proripuerit ſanguis.

(*i*) Ibid. p. 10.

(*k*) Ibid. p. 53 & 64.

„ cique diviſione, ut non facile ratio diduci tam „ juſtae proportionis poſſit (*l*). ”

Explicandae unius Lateris morbos difficultatis generale (ſi haec enunciata hic ita dicere liceat (*m*)) judicium ut ſuis, quae obſervationibus addidit, ratiociniis (*n*), ita, quae alii & ſuis adpoſuerunt, in genere demonſtrant explicationes (*o*). Nec vitio etiam hoc adeo vertendum eſt: cum etenim quivis tantum ſuas, quas aut ipſe viderat, aut ſpar-

(*l*) Etſi PECHLINI dicta (Obſerv. Phyſico-Medic. Lib. II. obſerv. 54. p. 341.) introductionis inſtar hic adduxerim, ne tamen huic ſententiae me totum quantum addictum credat Lector: abſit hoc quam maxime: patebitque inferius, me contra ſtatuiſſe quam ſeveriſſime *aequali conatu ſanguinem*, *aut ſine ullo delectu*, non *ita diluvio rigare totum corpus parteſque ſingulas*, verum in diſtributione, ut ita dicam, humorum inaequali, à Syſtematis Vaſculoſi actione derivandâ, Cauſſarum unam eſſe repetendam claſſem, ex quibus Morbi unius Lateris profluunt.

(*m*) Subjungit enim, „ Poteſt quidem ab aequa nervo„ rum in utrumque latus diviſione alterius & dimidiatae „ partis vitium oriri, ſi unum latus convellatur, ſed à ſan„ guine eodem paſſim impetu per venas delato, quis eſt „ qui rara illa & ſingularia unius lateris phaenomena de„ ducere ſe poſſe confidat? ” —— Haec ſi quem offendant, excuſet quaeſo, quum quo fuerit dictum ſcopo inveniet quivis perſpiciens. — Et quod hic veniam etiam meam facit, eſt, quod nec in ipſis nervorum adfectionibus illam ipſam nervorum in utrumque latus aequam diviſionem ſymptomatis explicandis ſufficientem declaret: aſſerit enim inferius, „ Nunc etiam corporis dimidiati tremores muſculo„ rumque unius lateris palpitationes quis non cum ſtupore „ advertat? ” Et paullo poſt, „ Notum eſt haemiplegiae „ ſymptoma. Laborat ibi unicum & dimidiatum corporis „ latus ad perpendiculum, nervorum mechanico adfectu „ prodigium moderante, quamvis neque ibi omnia expli„ cata ſatis. ”

(*n*) Vid. hujus Cap. §. inſequentem.

(*o*) Ibidem.

ſparſim hinc inde collegerat, ediderit obſervationes, nec facta haberet, quibus concluderet, nec materiae ubertatem, ſufficientia, nec H. C. denique leges variâ temporum, quâ hae prodiere obſervationes, periodo examuſſim ita eſſent cognitae, quâ nunc gaudemus, ſcientiâ, haud illud ita exſpectari poterat. Et hanc operam (quod hic initio monuiſſe liceat) etſi in me ſuſceperim, etſi, quantumpote, quae hac de re invenerim, ordine redegerim juſto, ac praeterea explicandi rationes & media, quae ſubolfecerunt Auctores nonnulli (ut ex recenſione, & noſtrae, poſtea his de phaenomenis exhibendae, explicationis patebit comparatione) in meos adhibuerim uſus, ne putetis quaeſo Legentes, me horum omnium interpretationem concinnaturum teretem, rotundam, omnibusque appoſiturum numeris abſolutam. — Interpretationem horum, in quâ nihil non exaequatum inveniatur, datum iri unquam, ego quidem, ut aſpere doleo, ſic vehementer dubito: hinc Conjecturas tantum proponam: ſed veniet forte dies, quae his dubiis lucem addet majorem, haecque pandet luculentius.

## §. II.

*Variorum Auctorum explicationes affectionum dimidii Hominis memorantur.*

Ut autem, quae de rationum explicandorum phaenomenωn defectu mox diſſeruimus, probemus quodammodo amplius, praemittamus prius, juxta ordinem praepoſitum (Cap. I.), quasnam ſuis obſervationibus, ad leges C. N. functionum componendis, attulerint rationes.

Icteri

Icteri dimidiati (*p*) cauſſam forte ſic rimandam, etſi difficillimum putet, quando idem flavum ſerum non minus circumibat per ſiniſtrum latus, quam per dextrum, aſſeruit MORGAGNIUS, ſi credas, per laxiores hujus fibras (etenim haemiplecticum erat idem latus) lentius promotum magis inficere potuiſſe laticem ſanguineum, bilioſa tinctum flavedine.

Poſt adjectam obſervationem de ſudore unius lateris, quam attulit SCHMIDIUS (*q*), non quidem illum caſum directe explicat, verum problematice proponit, „ Utrum partes ſiniſtri lateris pluribus ac „ majoribus vaſis lymphaticis, vel ſpeciali prae re- „ liquis conformatione; an vero cutis in ea corpo- „ ris parte ſpeciali pororum diſpoſitione & ſtructu- „ râ à primo ortu ita facta gaudeat, & pluribus „ glandulis ſubcutaneis, majorem ſeri copiam re- „ cipientibus & emittentibus? vel an Archaeus „ partium ſiniſtri lateris alacrior & robuſtior „ ſit, e contra dextri vero lateris partium tor- „ pidior ac debilior non niſi à ſpiritu ſeminali ex- „ citatus excrementum ſerorum expellere tentet? „ Auctoribus Naturae myſtis expendendum relin- „ quo.”

Primae obſervationi, quam ex Eph. N. C. recenſuimus (*r*), quoad ejus cauſſam addidit ROMMELIUS ſequentia: „ Forſan pori illius lateris, cui „ incumbit (ſupina jacere illi moleſtum) ob mo- „ lem reliqui corporis ſuperjacientis arctius con- „ ſtringuntur & canaliculi, quibus latex ſeroſus „ continetur, & glandulae ſubcutaneae ab incum- „ bente

(*p*) Vid. Cap. I. §. II.
(*q*) Vid. Ibid. §. III.
(*r*) Ibid. pag. 8.

„ bente onere viſcerum, viaque praecluditur,
„ quo minus ſeroſitas in iis contenta ad - & effluere
„ poſſit.".

Suae de frigore obſervationi (*s*) haec praepoſuit PECHLINUS: „ De frigoris calorisque ſenſu res „ paulo impeditior: niſi enim hic quoque nervo- „ rum diviſione ſuccurras, haud facile adparet, „ quomodo frigus, quod ſanguinis alias ingenium „ ſequi videtur, dimidiatum corporis latus, velu- „ ti ad amuſſim occupare, diſtinguereque perpen- „ diculariter poſſet."

Poſtquam HARTMANNUS (*t*) ſui ipſius corporis obſervationi explicandae haud ſufficere & inſervire poſſe aëris illum ambientis qualitates, nec eo conferre ſuorum humorum (*u*) viscoſitates, perſpexerat, illam explicationem in ſecretoriorum vaſorum debilitate, & ipſi juncta laxitate illius lateris, quaeſivit (*v*), atque illud proprie eſſe, quo hi effectus contingant, conjicere credidit, quum lateris illius capitis dolores, oculorum hebetudines, adfectiones gravedinoſas, quin imo mitiores paralyſes & rheumatismos pateretur, ſi forte in his vaſis obſtructio & ſpiraculorum cutis occluſio accideret, quae quam facile fieri poſſit, non eſt quod adſtruemus (*w*).

PECHLINUS, poſtquam variolarum unius lateris fecerat mentionem (*x*), haec quoad explicationem ſubjungit: „ An forte negligentior unius „ partis cura & obvium frigus materiam repulerit „ in-

(*s*) Vid. Ibid. pag. 9.
(*t*) Vid. Ibid. pag. 10.
(*u*) Differt. Ejus ante cit. §. XXI. & XXII.
(*v*) Ibidem §. XXIV.
(*w*) Ibid. §. XXVI.
(*x*) Vid. n. Cap. I. §. V. p. 14.

„ inque alteram partem, magis vel lecti aut motus „ occaſione calentem, conjecerit, non de nihilo „ dixeris."

Quoad Ignis Sacri, cujus antea obſervationes dedimus varias (*y*), cauſſarum indaginem, nihil determinati Auctoribus hic relictum video. Cl. HAENIUM ſi conſulamus (*z*), nil certe hic invenimus, dicit enim tantum: „ Mirabitur forte quis „ poſt univerſalem febrim Naturam uno tantum „ corporis in latere exanthemata producentem; ſed „ quod hic, id alibi frequenter facit. Febris uni„ verſalis praegreditur, & ad unam parotidem, „ ad unam coxam, ad unum brachium pedemve „ tota vis morbi, ejusque materies, defertur. In „ univerſali ſcorbuto uno in crure ulcus, imo fon„ ticulus, liberat aliquoties totum fere corpus. Et „ omnes illae criſes κατ' ἴξιν Veteribus dictae quid „ aliud denotent?"

Nec majoris ſunt momenti, quae eâdem de materia protulit laudatus ante doct. VAN PHELSUM (*a*); quin imo ingenue quaenam, cur haec eruptio plerumque dimidium truncum vel dimidium pectus occupet, ratio ſit, adhucdum ſe neſcire fatetur. Forte dicit, quod haec adfectio ſe plerumque in diaphragmatis regione ad unum latus ſe conſpiciendam prodat, ratio quaerenda erit in violenta repulſione materiae, cum nempe frigoris adfectiones graviores, aut aliud perſpirationem prohibens remedium, primum aut plurimum in hanc partem aeſtuati ſic corporis inciderit, cum hoc latus frigidae ſe expoſuerit aurae: quippe inter ceteras N. C. partes

(*y*) Vid. Ibid. §. VI.
(*z*) L. ante cit. pag. 118.
(*a*) Ante cit. Tract. p. 51.

tes tectas, ea, quae ſupra inguina eſt, minus tecta cuſtoditur.

De diſtenſionis vaſorum cerebri unius lateris è directo pulmonis adfecti (*b*) explicatione haec addidit MORGAGNIUS (*c*): „ Exemplo haud ſcio „ an ab aliis adnotato, ſed tamen fortaſſe non diſſimili ratione explicando, ac major in ea mala ru„ bor, quae vitiato ab eodem latere pulmoni re„ ſpondet, aliaque ejúsmodi, quae κατ' ἴξιν fiunt, „ ut HIPP. loquuntur interpretes & in his DU„ RETUS, ubi illius exponit locum: *quibus perip„ neumonicis tota lingua ſit alba & aſpera, pul„ monis ambae partes inflammantur; quibus autem „ dimidia tantum, illa pars quae ſpectatur.* Illa au„ tem explicandi ratio, etſi tam difficilis & retru„ ſa, aut certe, ſi ad nervos etiam confugias, „ ambigua ſit, quam ex eorum ſcriptis, qui eam „ cum antea, tum aetate hac noſtrâ excogitare „ conati ſunt, proclive eſt exiſtimare, nonnun„ quam tamen aliquanto minus difficultatis habere „ poteſt, velut hic, ſi illam pulmonis ſiniſtri ſu„ premam partem non ſolum duritie ſua antiquâ, „ ſed nova addita, tum à ſpumoſo ſero turgentia, „ tum à pleura, ibi craſſiore facta, compreſſione, „ nonnihil urgere potuiſſe opinemur ſiniſtram ſub„ claviam venam, &, quod conſequitur, reditum „ ſanguinis à parte capitis ſiniſtrâ, quae praeterea „ infirmior quam dextera creditur, remorari."

De ſalivatione dimidii hominis ejusque ſignorum cauſſa nihil memorat BERGIUS (*d*), verum aliis id explicandum relinquit: „ Problematis (inquit) „ loco hic eſſe poſſet, quum venae bibulae cutis u-

(*b*) Vid. Cap. I. §. VII.
(*c*) L. C. art. XII.
(*d*) Vid. Cap. I. §. VIII.

„ utriusque lateris hauſerint mercurium, per quem „ mechanismum hydragyrum in vaſis arterioſis „ dextri lateris collectum & coacervatum fuerit?"

De aliis obſervationibus, quas §. X. & XI. Cap. I. dedimus, aut nullas aut futiles cauſas invenimus, aut quas ipſi §. X. jam adjecimus.

Verbo nunc adhucdum notemus, quid de Criſibus Naturae è directo lateris adfecti, quod earum cauſſas attinet, produxerint Medici, ut Veteres ſic Hodierni.

Vetuſta factorum adnotatio, cui inprimis, quas ante recenſuimus (*e*), de ſanguinis profluviis κατ' ἰθυωρίαν (ſic etenim & appellabantur) debemus, in id potius, quod praeſentes obſerebant caſus, adnotando, quam explicando fuit verſata: cum enim HIPPOCRATEM pervolvimus, perlegimusque GALENUM, aliosve, qui forte eadem protulerunt, factum utique agnoſcere, conſtantem ſe fere ſemper hic obſervaſſe agentis Naturae modum, felicemque ex eorum eruptione, ſi per directum fierent, infelicem, ſi contra, fuiſſe, nihil autem de hiſce quoad explicationem memoriae tradidiſſe, comperimus. Nec iis hoc vitio adeo vertendum autumo: his etenim temporibus, quibus tot novis in omnibus ſcientiis gaudemus, quibus tot & tantis inventis ſuperbit Ars Medica, quibus tantos Anatomicos WINSLOVIOS, ALBINOS, HALLEROS, MECKELIOS, CAMPEROS, atque in aliis Medicinae partibus Viros tam eximios vixiſſe, & adhucdum vivere, gloriamur, merito inexhauſtam adhucdum, dixerim fere intactam, horum phaenomenorum (licet recentior aetas, ſuis etiam obſervationibus ſupra adductis confirmaverit factum) explicationem dolemus aſpere. —— Unicus SWIETENIUS

NIUS

(*e*) Vid. §. ultimum Cap. I.

nius (*f*), qui hic anteſignanus eſt, latius quodammodo, ut in aliis, hanc materiam pertractavit, verum omnibus penſitatis, *ex cognitâ hactenus corporis fabricâ non adeo patere omnium horum rationem*, concludit. —— Idem aſſeruit Rahnius (*g*); eadem tradiderunt alii. —— Et vereor ſane quam maxime, ut haec per N. C. fabricam, quatenus oculo ſe noſtro ejus praebet craſſior ſtructura, rimetur unquam: in auxilium enim cum ſanguifera vaſa, quatenus in C. N. ſunt diſpoſita, ſi vocemus, nihil hic proficimus, cum nulla ex ipſius hepatis vel lienis ſubſtantia progerminent vaſa directam cum naribus indicantia communicationem: nec plus profecerit quis, qui nervorum ab ἐνεργείᾳ deducere hoc mallet, cum ſatis ſuperque cognitum ſit, plexus nervorum hepaticos, alioſque ramos, ita ſibi intertextos eſſe, ut ex dextra aeque atque ſiniſtra parte in ſiniſtrum ſaepius ac dextrum terminentur latus, illaque pervagentur indiſcriminatim. —— Hac itaque in re ſi quid ſapere velimus, ad alias N. C. actiones, & hinc repetenda effecta, advertendum erit, & quantum hae lucis his adfundere poſſint in explicatione noſtrâ omnium unius lateris phaenomenorum videatur infra.

Atque haec ſunt, quae de hiſce phaenomenis invenerim Auctoribus recenſitas explicationes, & in hiſce nunc ſubſiſtere liceat: etenim in tradenda horum phaenomenorum explicatione, ad quam nunc transeo, patebit quidem, alios Auctores adhuc fuiſſe, qui paſſim de hiſce phaenomenis aut referendis aut explicandis egerunt locis variis, verum cum poſtea haec recenſebuntur neceſſario, non ut nunc praemittantur, tuncque repetantur, neceſſe du-

(*f*) Loco ante cit.

(*g*) Diſſert. ante cit. p. 39 & 40.

duxi: ſuo itaque & convenienti loco horum fiet mentio juſta.

## §. III.

*Quaenam Momenta in explicatione Cauſſarum affectionum alterutris Lateris conſideranda ſint, proponitur.*

Omnibus, qui N. C. ut Medici aut Philoſophi conſpexerunt, in confeſſo eſt, in omnium Cauſſarum ſive ſtatus ſani, ſive morboſi indagine duo potiſſimum reſpicienda eſſe; nimirum hunc praeciſe effectum oriri & non alium, *quia quaedam in N. C. partes ſunt, quae eodem modo, atque aliae humano artificio conſtructae machinae, mechanicâ ratione agunt, patiunturve*; *ineſſe praeterea N. C. ſi vivens conſideretur, alias facultates, ſua effecta ibidem producentes, non tamen ita à ſolidorum fluidorumve actione mechanicâ, quam quidem à vi vitali inſitâ, ſuas etiam leges*, (utinam modo ſaluti hominum explicitae magis!) *ſequentes, repetenda.*

Haec igitur, quae veriſſima ſunt, iis fundamentum praebere debent, quibus phaenomenorum unius lateris adfectionum, praeprimis ſi huic contribuere naturalem à Naturâ N. C. bipartitionem non omittatur, ſuperſtruenda eſt explicatio: & hoc ut quodammodo intelligatur plenius, monendum eſt, me quidem eâ verſari in opinione, ut 1°. nonnullae unius lateris adfectiones (quae Capite praecedenti pertractantur) dependeant quandoque à Cauſſis Mechanicis ſolis, ita diſpoſitis, ut neceſſitate mechanica in unum modo producant latus adfectiones: alias 2° eſſe, quae à dynamica Vaſorum actione repetendae ſunt: 3°. ſuos quandoque producere unius lateris morbos Syſtema Nervoſum, 4°. et S. Lymphaticum,

ticum, 5°. denique magnam hic mereri attentionem Textum Cellulosum, ut totum corpus permeantem, ſic praeprimis, & quod ad noſtram rem magis ſpectat, obtegentem illius ſuperficiem una cum ejus partibus, quae cutis nomine veniunt. Quod ſi his titulis explicationem horum phaenomenorum niti aſſeram, & mox probare allaboraturus ſim, ſicque haec phaenomena generaliter legibus C. H. mechanicis & dynamicis produci ſtatuam; non ita tamen haec res concipienda eſt, ac ſi quodque harum partium ſyſtema adfectum privos tantum & ſibi proprios unius lateris produceret morbos. Abeſt hoc quam maxime: connubium in hiſce legibus partibusque datur, ut toto in corpore, ſic particularibus etiam hisce in morbis, inſigne, quo fit, ut variae leges, omniumque ſyſtematum effectus, non tantum fere ſemper conſpirent, ut talem producere poſſint morbum, verum ſine tali connnbio nihil quicquam in genere valerent ſingulae. Quod ut pateat, quid quaevis lex, quidque quodvis particulare ſyſtema his contribuat videamus primum, inquiſituri poſtmodum, quantum conſenſus omnium ſyſtematum, viriumque dynamicarum & mechanicarum connexio & conſociatio hic adferat praeſidii.

Hiſce igitur praemiſſis, ad rem ipſam propius accedamus.

## §. IV.

*Quid Cauſſae Mechanicae ad morbos unius Lateris contribuant, inquiritur?*

Quamdiu & quoties ſanguis ex utriusque cordis cavitate in arterias utriusque lateris N. C. per omnem ambitum quaquaverſum premitur, aequabilique motu dispergitur, atque in utrumque latus ſimiles offen-

offendit actiones reactionesque; tamdiu totiesque (nullâ nunc habitâ ratione actionis vaſorum) aequalis per utrumque, ut ita dicam, corpus, diſtribuitur ſanguinis menſura: at ſi idem ille ſanguis cordi expulſus in uno latere, ſive totum illud corporis ſit, ſive alicujus partis, reſiſtentias offendat, vel, arterioſo ſyſtemate libero, per venoſum rediens obſtacula inveniat, quibus, quo minus in cor redeat, impeditur; neceſſario inde ſequi debet, ut ſanguinis inde determinata turbetur proportio, retineatur, quae reditura erat, ſanguinis quantitas, & aliorſum ruere, quam oporteret, cogatur ſanguinei laticis pars aliqua. —— Hoc fieri quandoque, & inde produci unius lateris morbos, probant, ut credo, quas antea (*h*) peripneumoniae, haemoptoae, vomicae, phthiſi, pulmonum tuberculis adeſſe notavimus ex variis Auctoribus, notaruntque Hippocrates & Morgagnius, ſymptomata. Et haec ſi praemittamus, horum phaenomenorum explicatio haud ita difficilis aeſtimanda eſt: etenim his in effectibus, ſi gena alterutra conſpiciatur rubra, alterutro patiente pulmone; alba vel rubra ſi fuerit lingua dimidia è directo pulmonis adfecti; vel denique alterutrum ſi fuerit inflammatum cerebri haemisphaerium, cum ſuis adjectis partibus, ex inflammatione unius è directo poſiti pulmonis, illud ego quidem exinde repetendum autumo, quod pulmonis inflammatione nata ſit obſtructio, illaque impediatur ſanguis quo minus per alteram venam jugularem deſcendere poſſit, qui impeditus, majorique copia ſic collectus, neceſſario vaſorum turgeſcentiam, coloris transparitionem intenſiorem & rubicundiorem, praeprimis ſi acrimonia hiſce ſe ad-

(*h*) Vid. Cap. I. §. I. & §. VII.

adjungat, ut in phthiſi & aliis frequens eſt, ſecum fert comitem.

Atque hac data explicatione patet, quantum haec MORGAGNII dictis (*i*) conveniant, quantumque ex illis in noſtros uſus hic tranſtulerimus.

Hanc aequabilem ſanguinis diſtributionem turbari, & hinc unius lateris morboſam diſpoſitionem poſſe produci, aliis adhucdum cauſſis mechanicis, ego quidem ſuſpicor. Scilicet, ut diximus, quamdiu aequabilis quantitas ſanguinis unicuique corporis parti diſtribuitur, omnia juxta rythmum procedunt naturalem: verum, ut hoc fiat, requiritur in unoquoque latere, ut canalium eadem ſit amplitudo, vaſorum eadem capacitas, idem eorum numerus; requiritur inſuper, ut ipſa vaſorum cohaeſio in uno & altero latere eadem ſit, eadem elaſticitas, atque ambientium, ut muſculorum, tunicae celluloſae cum ſuâ cute, eadem in illa actio: at vero in uno latere corporis ampliores poſſe eſſe canales, eorum numerum eſſe majorem, quam in altero in aliquo individuo, quid eſt quo minus credamus (*k*)? quae obſunt praeterea, quo minus vaſorum cohaeſionem & elaſticitatem (quocunque id fiat modo) & ambientium texturam in uno latere minorem eſſe poſſe, quam in altero, aſſumatur? quae denique impediunt, quo minus praeternaturalibus flexionibus, &

(*i*) Vid. hujus Cap. §. II. pag. 44.

(*k*) Obſervari quandoque duas arterias brachiales, duas radiales, alias, non eſt quod Medicis in Anatomia vel parum verſatis inculcemus. Et hoc ſi fieri poſſit, & fiat in nonnullis individuis, quidni quandoque, dum conſpici illud tantum in vaſis majoribus queat, illud etiam in nonnullorum individuorum minoribus ramis fieri poſſet? Nullus video, cur non ita ratiocinari liceret: Natura enim in omni ſingulari varietate diſſimilis eſſe, & vere individua, ſolet. Scrutandum eſt in ſingulis, inque ipſis individuis, & quod de individuis verum, valere facile poteſt de reliquis, & vice converſa.

& vaſorum curvaturis, interturbetur motorum humorum aequabilitas in uno vel in altero latere? Et haec ſi aſſumantur, ſi in quovis latere haec diſparia ſint, his ſi aequilibrium deſtruatur, nonne totidem fontes ſunt morborum ac cauſſae praediſponentes, quibus unius lateris morbos explicare poſſe crederes? Nec fundamento hoc adeo carere aut ratione deſtitutum eſſe, probant nonnullae obſervationum, quas ante dedimus (*l*), ſuadentque nonnullorum Auctorum rationes & explicationes, quibus particulares illos à ſe obſervatos caſus adſtruere tentaverunt (*m*).

Haec licet ſpeciem veritatis quandam mihi habere videantur, non tamen dico, quod ex his ſolis cauſſis repeti poſſint phaenomena, quae hic expoſita dedimus: accedere iis inſuper connubium illud cauſſarum & legum mechanicarum & dynamicarum, de quibus agetur §. IX., ego quidem crediderim, tuncque ſimul obſervatum iri mihi perſuaſum habeo, unum & alterum ſi conjungatur, non ita longe à veritate abeſſe, quae nunc de cauſſis hiſce mechanicis adduximus, imo iis majus additum iri robur confido.

Quae de ſyſtemate arterioſo & venoſo diximus, eadem & de S. lymphatico intelligi velim, caeteris paribus: huic enim ſuam functionem privam peragenti ſi ſimilia acciderent, turbae inde neceſſario in uno latere accidere deberent, quae nullum haberent commercium cum adfectionibus, quae ex vi-

(*l*) Vid. obſerv. Icteri dimidiati Cap. I. §. II., & obſ. Sudoris Hartmanni, Cap. I. §. III. pag. 10. & alias ſupra memoratas.

(*m*) Vid. explicationem, quam dedit de Ictero Morgagnius, & de ſuo Sudore Hartmannus, Cap. II. pag. 41. & ibid. §. II. pag. 42.

viribus ejus inſitis provenire poſſunt, ut poſtmodum videbimus. —— His abſolutis ad momentoſas magis, & plus ad unius lateris morbos producendos conferentes, cauſſas transeo.

## §. V.

*Quantum hic ſuam ſymbolam conferat Syſtema Vaſculoſum vi proprie dynamicâ, diſpicitur.*

Arterioſum Venoſumque Syſtema vi gaudere propriâ irritabili, hacque ſuos motus impertire ſanguini, ei directionem, vim, celeritatemque variam diverſis in partibus conciliare, utut negatum Viris etiam praeclaris (*n*), hodie tot experimentis, de induſtria eum in finem à Cl. van Doeveren (*o*), van Geuns (*p*), Doct. van den Bos (*q*), Bikker (*r*), Dennison (*s*), & qui hic quaſi Auctor claſſicus eſt Verschuir (*t*), aliisque inſtitutis, totque factis medicis & obſervationibus pra-

(*n*) Vid. §. XV. §. XXIII. & §. XXXV. aliisque in locis mox allegandam perpulcram Diſſert. Doct. Verschuir, nunc inter Amſtaelodamenſes Practici inſignis.

(*o*) In Spec. Obſ. Acad. Cap. XIV, ut & in Diſſert. Clar. van Geuns & Doct. Verschuir mox citandis.

(*p*) Diſſert. *De eo quod Vitam conſtituit in corpore animali*, Groning. 1758. ed. & nunc inſerta Theſ. Diſſert. Cl. Sandifortii Tom. III.

(*q*) Diſſert. de Solidis H. C. vivis, L. B. 1756.

(*r*) Diſſert. de Naturâ Hum. quae Medicorum eſt, L. B. 1756.

(*s*) Diſſert. de Arteriarum omnium & Venarum part. irritabilitate, Edinb. 1775.

(*t*) Diſſ. de Arteriarum & Venarum vi irritabili &c. Groningae 1765. Ed. per omnem ambitum: cum qua omnino conferantur W. Hewson's Experimental. Inq. the 2d. Part in not. p. 13. & W. Cullen Inſt. Phyſiol. §. 159.

practicis, ſine hac virtute haud facile intelligendis, comprobatum eſt, ut inter axiomata medica hanc referre veritatem nullus dubitaverim.

Comprobant nempe illa quam ſtrictiſſime, in ſanitate ex hac vi repetendum eſſe, quod quaevis N. C. pars, privae ſuae functioni deſtinata, demenſam conſequatur ſanguinis quantitatem; quod hac vaſorum actione ſuum paret ſuccum, ſuos ſecernat excernatque humores quodvis organon; verbo, quod hac vi particularis humorum fiat diſtributio juxta leges C. N. impreſſas, dum arteriis, miniſtris quaſi nominandis, tantum laticem ſuum ſuppeditet cor, dominus. — Verum eadem, ut in ſanitate haec demonſtrant luculentiſſime, ſic non minus in morbis declarant, ab hac, & quidem ab hac ſolâ, vi revocandum eſſe, quicquid, quoad ſanguinis curſum, in morbis ſit abnorme. Tota fere hoc nititur congeſtionum doctrina & ſanguinis in febre inaequalis diſtributio; pendent inde criſeos molimina, haemorrhagiae activae, multa alia, quibus praeſentem materiam peccantem eliminare, ac foras expellere, tentat Natura, ſic ut dubites, utrum validiora habeat haec inſtrumenta, & an alia, praeter vaſorum actionem, quâ ſanitatis deſtructioni obniti quovis modo intendit. —— Haec, & multa alia, quae optime enucleata ſunt a Doct. VERSCHUIR (u), mihi de unius lateris morbis meditanti anſam dedere cogitandi, an non huic vaſorum virtuti activae pro maximâ parte hae apparitiones adſcribendae forent? — Et cum febrim topicam occupare non raro corporis partes ſingulares SWIETENIO, HAENIO, aliisque obſervatum ſit; cum hanc febrim Virginis alterutrum crus tremiſce-

(u) De his enim prae ceteris egit in Diſſertatione memorata.

miſcere, dein caleſcere & ſudare, reliquo corpore integro, adnotatum inveniam (*v*); cumque porro mecum reputem, haemorrhagiam narium ſiſti quandoque ſola immiſſione manus in frigidam (*w*); & ad diverſitatem, quam pulſum habere in variâ N. C. parte, vel in utroque carpo (uti ex ante allatis obſervationibus patuit (*x*)), aliaque innumera, hac in re obſervata, attendam animum; convictum me plane ſenſi, ex hac ſolâ fere actione repetendos eſſe unius lateris morbos, ſi modo per dimidiam totius corporis, aut determinatam illius dimidii partem, ſeſe exſerat vis haec vaſis inſita: neque alio ex principio deduci poſſe puto, quas de criſi in adfecto latere obſervationes ſcriptis prodiderunt Medici.

Quod ut quodammodo enucleatius concipiatur, rogare liceat, quaenam quaeſo obeſſe poſſent rationes, quae dicta haec abdicarent. Vaſorum partitionem in dextrum & ſiniſtrum latus ſi compararemus aequalem; illaque vi quaſi propriâ, à cauſſis non ita facile determinandis, quovis in latere gaudentia ſtatuamus; quidni vaſorum illam unius lateris ſeriem ſpasmo, aut defectu irritabilitatis, & in nonnullis caſibus particularibus ramos vaſorum capillarium, quae per cutem diſperguntur, ipſâ morte adfectos poneremus, ſic ut in uno caſu inde producaca-

(*v*) Medical Eſſ. Tom. I. p. 295, 296. & Tom. II. p 302. nec non Doct. DENNISON in Diſſert. cit.

(*w*) Vid. Doct. BIKKER, l. cit. p. 46.

(*x*) Vid. Cap. I. §. X. & §. XII. praeprimis pag. 36 & 37. His addi adhucdum poteſt, quod pulſus diverſitatem invenerit è directo in carpo hominum pleuritide laborantium BAGLIVIUS, diſertis enim inquit verbis (loco ante cit.) „ Et in Pleuritide pulſus ex parte lateris adfecti, in „ quo eſt centrum oſcillationis inflammatoriae, depreſſus „ magis obſervatur, quam ex parte ſani. "

catur congeſtio ad aliud latus, vel materiae ſtagnatio in illo latere, prout hoc vel illud locum habeat? & quidni porro exinde deduceremus, hac ipſâ unius lateris adfectione oriri effecta, quae quidem vaſorum vi oriri conjicere poſſimus, neutiquam autem, cur ita fiant, mathematice determinare queamus?

Hanc Vaſorum actionem in utroque latere (etſi cauſſam ejus non ita facile perſpiciamus) cum diverſam ponimus, cumque unius lateris irritabilitatem & ſenſilitatem majorem, minoremve concipimus, eliciendum inde mihi videtur, quî fiat, ut, ſi morboſus ſtimulus per omnem laticem ſanguineum diſtribuitur, diverſam ſortiatur adfectionem ab hoc ſtimulo quodvis latus, ut ita dicam, vaſculoſum, & quî uno in latere materies haec morbifica ſuas producat phaſes, dum altero in latere vaſorum actioni nullam (ſi ita loqui fas ſit) ſuae praeſentiae imprimens perceptionem, absque ullo effectu ſenſibili, vel viſibili, iners quaſi pererret ac mortua?

Hiſce, quae modo diximus, pro fundamento aſſumtis, neceſſario etiam ſequi debet, quod, ſi unum latus facilius a ſtimulis in actum deduci queat, in hoc ipſo, ſive ejus parte (modo conſenſum ad dimidium hominem ſe extendere ponamus) oriri debeat major humorum circulantium celeritas, atque inde etiam fieri poſſit major calor, majorque humorum ſive ſanorum ſive morboſorum ſecretio (*y*); vel, quod alteri lateri, torpidiore vitâ praedito, nec ſtimulis tum naturalibus, tum foras ad-

(*y*) Confirmant dicta noſtra, quae adnotavit ex Cl. GORTERI Excert. Med. de motu vitali ſaepius jam laudatus, nec nimis tamen facile laudandus, Doct. VERSCHUIR in Nota (*k*) pag. 14. Diſſert. ſuae.

advenientibus, tam facile excitando, à contrariis cauſſis effectus eveniant contrarii. Quod ſi porro mecum reputem, eo majorem eſſe irritabilitatem vaſorum, quo magis à corde diſſita ſint, ut argumentis, omni dubio majoribus, aſſeruere DENNISON, VERSCHUIR, WHYTT, SCHWENCKE (z); non miror adeo, quod haec effecta, ſi uno in latere obtineant, potiſſimum in cute ſeſe prodant, utpote ceteris paribus à corde remotiſſima, ſimulque vaſculoſiſſima.

Venae cavae contractiones alternae, ut GALENO obſervatae, ſic poſtmodum HARVAEO, STENONI, LANCISIO, WALLAEO, TH. BARTHOLINO, BORRICHIO, HALLERO, VAN DOEVEREN, VERSCHUIRIO aliisque obſervatae ſunt (a), & quidem ita manifeſte, ut corde etiam reſecto illius contractiones ab hepate & à jugulo ad cor extenderentur. — Quod ſi in hiſce experimentis hae fuerint obſervatae contractiones, quidni aſſumere liceret, in adfectione morboſâ hepatis, infarctione viſcidâ aut inflammatoriâ laborantis, in vena hac cava motus oriri irregulares, ſpasmodicos, ſurſum vel deorſum ſeſe extendentes, reliquumque ſyſtema vaſculoſum ita in conſenſum trahentes, ut inde producantur congeſtiones ſanguinis quae in vaſa, debilia nimis, quam ut columnam ſanguinis ſuſtineant, irruentes, haemorrhagias gignant activas κατ' ἐξιν, illisque morbi judicationes efficiantur ſalutares.

Quod ſi dicta (quae facile extendi poſſent, & deberent, niſi nimium creſcere disputationem, &

(z) Horum omnium Auctorum ſententias v. apud. doct. DENNISON diſſ. cit. p. 51. & ſeqq. Cf. CULLEN l. c. §. 159.

(a) V. VERSCHUIR Diſſ. c. §. XXXI. & DENNISON Ibidem C. III. p. 57. Cf. CULLEN l. c. §. 165.

& Medicis harum rerum gnaris me ſcribere certum haberem) in compendium quaſi contrahamus, ac cum Obſervationibus (Cap. I.) allatis comparemus, veritatis ſpeciem acquirere inſignem videntur; imo inſignem adeo, ut dubitem, utrum adductis phaenominis explicandis alia quidem in ſubſidium ſint vocanda C. N. inſtrumenta, aliae partium ceterarum actiones. — Ex prolatis enim haud adeo conceptu nunc difficile mihi videtur, quî fiat, ut unius lateris linguae conſpiciatur rubedo, aut dimidia obſervetur lingua albida vel nigra? quî porro bilioſi liquidi labe intinctus latex ſanguineus, per omne corporis vas diffuſus, unam tantum unius lateris vaſculorum adficiat ſeriem, ita ut hujus tantum lateris vaſa ſtimulo majori vel irregulari obſequioſa ſint, illius non item? quî uno in latere ſtimulo exiſtente majori, cum celeritatis humorum circumactorum incremento & vita vegetiore, oriantur ſudores, calores, eruptiones morboſae variae; vel contrariâ obtinente cauſſâ, frigus dimidii conſequatur corporis? quî ex eodem fonte, quo icterum dimidiati corporis repetimus, repetenda etiam unius lateris ſalivatio videatur? quî praeterea (niſi forte & hic ad Syſtema Nerveum vel Lymphaticum recurrendum ſit) tumere queat teſticulus è directo tumoris brachium obſidentis? quî hemizomatis oriri queat necroſis? quî porro accidat, ut ex adfecto ſyſtemate vaſculoſo, quod ex hepate ſurſum tendit, dextrae naris producatur haemorrhagia; vel vena cavâ, aliisque vaſis adfectis, quae ad inferiora tendunt corporis, haemorrhoidalis proliciatur fluxus? & quî forte ex iisdem principiis repetenda ſit criſis ſiniſtrae naris, lien ſi fuerit adfectus?

Si porro jam noſtram hanc ſententiam cum non-

H nul-

nullorum explicationibus comparemus, patet, inter hos fuiſſe aliquos, qui & ex hac vaſorum activitate repetendos hos morbos, ſuboſfecerint. Archaei enim ſiniſtri lateris alacritas & robur, dextri vero lateris torpiditas ac debilitas (*b*), quid quaeſo aliud eſt, quam noſtri ſyſtematis vaſorum vis vitalis actuoſa, irritabilitas ejusque actiones particulares? Utrum autem ſpiritus ſeminalis hoc in caſu incitamentum fuerit, quo ſeroſus latex uno in latere copioſius fuerit expulſus, ego quidem non facile crediderim ac determinaverim. — Atque eodem quodammodo redeunt, quae in ſua adjecta explicatione adduxit ROMMELIUS (*c*), ac ſi illius lateris pori & canaliculi, quibus latex ſeroſus continetur, conſtricti forent fortius mole ſuperjacentis reliqui corporis.

Non tamen negaverim, ſi omnia accurate conſiderentur, ad evidentiam, omni dubio majorem, dicta phaenomena Cauſſis indicatis reduci non poſſe. — Novi hic dari hiatum, & ſyſtematis noſtri lacunas ipſe video, quas agnoſcendas jubet machinae humanae cognitio haud penitior. Inter has tamen difficultates, quae dicta ſymptomata ſecum gerunt, me judice diſparebunt variae, ubi noſtrae ſententiae ea, quae ſequentur, addiderint robur, atque ubi quid ſingulae partes & earum actiones contribuant, ſeorſim, & quid producere queant conjunctae, explicaverim poſtmodum latius. — Ad hunc itaque laborem ut me accingam, ordo propoſiti nunc dictat.

§. VI.

(*b*) Vid. hujus Cap. II. §. II. pag. 41.
(*c*) Vid. Ibidem.

## §. VI.

*Syſtematis Nervoſi ἐνεργεῖα & actio in morbis Unius Lateris.*

Ut ordo conſervetur, hunc titulum hic tantum commemoraſſe liceat: agere enim hic loci de iis morbis, quae mere nervei ſunt, quique in uno latere corporis tantum locum habent, inutile maxime foret, cum haec materies in Sect. II. ex profeſſo nobis erit pertractanda: quae cum nimis longa ſint, ut hiſce inſerantur, & iis ſpecialis quidem tractatio competat, ad illam referre Legentes liceat. Quum vero dubitari nequeat, quin nervorum magna eſſe debeat conſideratio in iſtis Vaſorum motibus a ſtimulo excitatis, quos (§. praeced.) memoravi, illud hujus loci foret, ut, quantum Nervoſum Syſtema in Vaſculoſum, aliasque inde pendentes C. N. actiones, influat, & quomodo ſic etiam unius gignantur vel augeantur lateris morbi, commemoraretur; de hoc autem cum quodammodo latius in hujus Cap. §. ultimâ ſit tractandum, haec miſſa facio.

## §. VII.

*Syſtema Lymphaticum quatenus in morbis Unius Lateris producendis ſuas agat partes.*

Syſtema Lymphaticum, quicquid etiam Auctoribus nonnullis fingere placuerit (*d*), ego quidem, ob-

(*d*) W. HEWSON Experimental Inquiries Part the Second. pag. 6. & 7. Cl. MECKEL verſabatur etiam in illa

obſervationibus GLISSONII, HOFFMANNI, W. HUNTERI, MONROI & HEWSON convictus, pro particulari ſyſtemate vaſorum abſorbentium (*e*), quorum praecipuus, & quaſi communis, truncus ductus thoracicus eſt, atque ex quo in unoquoque latere in omnem corporis ambitum ad ejus peripheriam diſperguntur rami (*f*), habeo.

Illud autem Syſtema, ut reliquas N. C. partes omnes, vivere, ſenſilitate & irritabilitate, ſeu vi contrahendi, ac in fluida agendi, motumque conciliandi eſſe donatum, probant facta certiſſima: à morte enim chylo pleniſſima inaniuntur & diſparent, quae certe non mediocrem vim irritabilem denotant. Imo ipſo viſu illorum contractio, cum inſtar filorum tenuiſſimorum nonnunquam vaſa haec ante oculos diſpareant, animadvertitur (*g*).

Has

illa opinione, vid. Ejus diſſert. de Venis Lymph. valvuloſis: verum haec & aliorum egregie refutata ſunt ab eodem Expert. HEWSON C. IX. pag. 133. & ſeqq.

(*e*) Ibidem C. X. pag. 157. & ſeqq.

(*f*) Ibidem. C. III. p. 20. & ſeqq.

(*g*) VERSCHUIR l. cit. §. XXXII. & ibi cit. Auctores, nec non Doct. DENNISON Diſſert. cit. p. 60, ubi haec habet: „ Nec Lymphaticis ad motum ſatis eſſe videtur muſculorum & arteriarum vicinarum actio, ea valvulis praedita comprimens; nam manifeſta earum inſignisque irritabilitas motum periſtalticum, ab abſorbentibus finibus forſan coeptum, oſtendit (CULLEN Inſt. §. CLXVII). Quanta eorum irritabilitas ſit, teſtatur HALLERUS (E. P. Tom. VII. L. XXV. Sect. 2. Chyl. mot. §. 5. Exper. 250. Vaſa autem lactea eadem ac lymphatica eſſe, & ejusdem naturae participia, vid. Eund. p. 199). Eorundem ejusmodi actio eſſe videtur, ut, cum in articulis contractiora, quam alibi ſint, hi primum repleantur, eaque repletio pro ſtimulo, humorem porro promovente, agat. Quem tamen agendi modum, quoniam cerni oculis nequit, pro conjecturali ita propono, ut „ inde

Has proprietates inſitas cum agnoſcamus; his functionibus cum ſint deſtinata vaſa lymphatica, nullus video rationes, cur non unius lateris ſyſtema contractione agitari poſſit abnormi & incitatiori, vel cur non in uno latere locum habere poſſit vis vitalis eorum torpidior, quibus fieret, ut hic illic producerentur tumores lymphatici, vel abſorbtio minus procederet aequalis, aliaque excitaren-

„ inde eſſe hic actionem, eamque muſcularem neutiquam „ addubitem."

Inſignis eſt locus doct. HEWSON (L. c. pag. 13, 14, 15 & 16.) qui haec dicta probat; quapropter & huc eum transferre liceat. „ And as the blood veſſels have a muſcu- „ lar coat, which aſſiſts in the circulation, ſo may the „ lymphatics, as is rendered probable from what Dr. „ HALLER ſays of his having found them irritable in his „ experiments (Sur le Mouv. du Sang Exp. 295, 298) and „ alſo from what is obſerved on ſeeing them in living „ animals diſtended with their lymph, in which caſe they „ appear of a conſiderable ſize; but upon emptying them „ of their contents, they contract ſo much as not to be ea- „ ſily diſtinguiſhed. This is an experiment which I have „ frequently made in the trunk of the lacteals in a gooſe „ and on the lymphatic veſſel on its neck, both of which „ when diſtended with their natural fluids are as large as „ a crow quill; but on emptying them in the living animal, „ I have ſeen them contract ſo much that it was with the „ greateſt difficulty I could diſtinguiſh them from the fibres „ (See alſo HALLER E. P. L. 2. ſect. 3. §. III. The „ celebrated NUCK thought he could ſeparate the coats „ of the lymphatics, Adenograph, cap. III.). The coats of „ lymphatic veſſels have, in common with all other parts of „ the body, arteries and veins for their nouriſhment; this is „ rendered probable by their being ſuſceptible of inflamma- „ tion, for they are frequently found in the form of a cord, pain- „ ful to the touch, and extending from an ulcer to the next „ gland. Theſe painful ſwellings of lymphatic veſſels like- „ wiſe ſhew, that their coats have ſenſibility, and therefore „ that they have nerves as well as arteries and veins."

rentur ſymptomata, quae (obſervatione ad morbos unius lateris magis adplicatâ, lymphaticoque ſyſtemate magis meliusque cognito) ex his fontibus deducenda eſſe, poſtmodum intelligetur forte plenius.

Ex hac forte vitâ torpidiori vaſorum lymphaticorum Cerebri, & abſorbtionis defectu aliove vitio, an non repetendi ſunt, quos Auctoribus notatos invenio, dimidiati capitis hydrocephali interni? Nimirum Nobil. Tulpius (*h*) memorat, quandoque haerere tantum liquorem effuſum vel in dextro, vel in ſiniſtro cerebri ventriculo, illudque ſe bis vidiſſe in alterutro adnotat, ita ut ultra duas libras uni parti aquae eſſent incluſae, atque ita ſtricte quidem, ut altera foret plane illaeſa atque integra. Haec unica eſt, quam de humanâ ſpecie Auctoribus adnotatam invenio, obſervatio: attamen in brutis ſimile quicquam ſe bis obſervaſſe Auctor eſt Joh. Jac. Wepferus (*i*), ubi in uno caſu in cerebri bovini ventriculo ſiniſtro, & in altero in dextro hydropem dimidiatam tantum invenit. Et ſimile quid in vitulino ſe capite obſervaſſe Cl. Bonn, *Anat. Prof. in Ill. Athenaeo Amſtelodamenſi*, in parte ſiniſtrâ mecum communicavit, quâ hydrope illius partis caput totum fuerat dilatatum, ut mihi in ſceleto, qui à Cl. illo Viro conſervatur, conſpicere licuit. Si jam in vaſis lymphaticis, revehentibus humores ab arteriis in his ventriculis ſecretos, vitium fuerit in illo latere, quid explicatu facilius, quam quod ab hoc producti fuerint illi hydrocephali? — At objicient nonnulli forte, non dari

(*h*) Obſerv. Med. Lib. I. Cap. XXV. Hanc obſervationem in ſua Anat. Pract. etiam retulit Bonnetus, Vid. Tom. I. obſ. IX. pag. 383.

(*i*) In egregiis Ejus Hiſt. Apoplecticorum p. 63 & 64.

dari in ipſo cerebro lymphatica, nec illa unquam adhucdum fuiſſe demonſtrata, & hinc illud malum à venarum reſorbtionis defectu repetendum eſſe. Hoc ſi pro momento largiamur, demonſtrat tunc ſaltem illud vitium unius lateris venarum abſorbtionis defectu eſſe productum, de quo (§. V.) jam egimus, ita ut haec tunc demonſtrationem illius rei confirment ulterius. —— At vero, quia adhucdum nulla vaſa lymphatica in cerebro inventa ſunt, dum per omne corpus inveniuntur, an ideo huic organo illa denegabimus? Analogia juſta nos ita concludere (ni fallor) vetat, ac nuperior induſtria, quae in amphibiis, piſcibus & volucribus ea in lucem protraxit (in quibus etiam adeſſe negabantur) prudentiam inculcat ſerio. Similem praeterea in cerebro abſorbtionem per vaſa lymphatica probare videtur eadem humorum remorantium ex cavitatibus omnibus N. C. ac circumactorum per lymphatica reductio (*k*). Analogiam hanc ut probaret, caſum adfert Doct. Hewson, qui magnam de vaſorum lymphaticorum in cerebro praeſentiâ probabilitatem indicat, quem hic adducere in Nota liceat, eo praeſertim ſcopo, ut ſi vel inde non probari crederent lymphaticorum in cerebro exiſtentiam Adverſarii, diſcerent tamen, unius lateris morbos iis aut produci, aut ſolvi poſſe eodem in latere (*l*).

Haec

(*k*) V. Hewson L. c. Caput VII. integrum.

(*l*) „ But although lymphatic veſſels have not yet been „ demonſtrated in the brain, it is probable from analo- „ gy, that this organ is not deſtitute of them; and the „ following caſe affords an argument in favour of abſorp- „ tion being carried on here by lymphatics, as well as „ on other parts of the body.

„ J. H. a young man of twenty five years of age, by „ trade a ſilk-dyer, and whoſe father at that time laboured „ under

Haec omnia nonne demonſtrant, vaſa in cerebro adeſſe lymphatica, & his, ut in aliis N. C. partibus, abſorbtionem fieri? Concluſio videtur adfirmativa.

His intermiſſis in viam redeamus. Ex iis quae hujus Cap. §. ult. adducenda erunt, hoc praeterea evincetur, poſſe in N. C. unius lateris morbos oriri,

,, under a third attack of madneſs, conſulted me about a ,, glandular tumor upon the left ſide of his neck, of which ,, he gave the following account: that for ſome time he had ,, bein troubled with an eruption which had gone off and re- ,, turned repeatedly; that a week after its laſt diſſappearan- ,, ce, he was ſeized with a fixed pain in his forehead, for ,, which he was bled; that one day whilſt at work, after ,, this pain had continued a fortnight, he felt a weakneſs in ,, his left arm, and the bruſh with which he was working ,, fell out of his hand, but he had no weakneſs in his right ,, arm, nor in his legs. That this weakneſs returned two ,, or three times a day for nine days; and was rather re- ,, lieved by putting his hands into warm water. About ,, three days after he was first attacked with this weak- ,, neſs, a tumor appeared on the left ſide of his neck, ,, juſt below the ear, when I first ſaw him this tumor ,, had continued eleven days. It ſeemed to be an enlar- ,, ged lymphatic gland, was then hard, but afterwards ,, gradually came to ſuppuration, and at the end of ſix ,, weeks it burſt and diſcharged a yellow curdled matter. ,, He adds at the ſame time that he was attacked with the ,, weakneſs, he had a faultering in his ſpeech, and ſlight ,, convulſions in his lips.

,, Now as in this caſe there ſeemed to be a compreſſion ,, of the brain, which was removed, when the glands ,, ſwelled, is it not probable that the cauſe of the com- ,, preſſion has been ſome extravaſſed fluid, which after- ,, wards being abſorbed, occaſioned the tumor & ſuppu- ,, ration of the lymphatic gland? and therefore is it not ,, a preſumption that abſorption is here likewiſe carried on ,, by lymphatic veſſels?" Vid. ibid. pag. 51, 52, 53 & 54.

oriri, ad quos fovendos, alendos & producendos ſuam S. Lymphaticum confert ſymbolam.

Inter omnes Auctores, explicationem obſervationum ſuperiorum exhibentes, ſolum video SCHMIDIUM (*m*), qui, quoad S. Lymphaticum, de ejus cauſſis mechanicis & dynamicis ad morbos unius lateris explicationi adhibendis cogitaverit: problematice ſcilicet propoſuit, „ Utrum partes ſiniſtri lateris „ pluribus ac majoribus vaſis lymphaticis, vel ſpe- „ ciali prae reliquis conformatione, . . . . ita factae „ gaudeant?" —— Obtinuiſſe illud forſan in illo aegro, cujus meminit, & has cauſſas ad adfectiones illas contribuere potuiſſe, me conſentire facile vides.

## §. VIII.

### *Influxus Textus Celluloſi in adfectiones corporis dimidii.*

Textum celluloſum per ſe ſolum non ita ad unius lateris morbis diſponere poſſe prima conſideratione videretur, cum adminiculum potius videatur, quod recipiendis vaſis ſanguiferis, lymphaticis, nervisque, ac corpori integendo ejusque ceteras partes ambiendo deſtinatum ſit. —— Haec licet ita ſint, habet tamen & ſuas proprietates, ſuamque fabricam, quae hic enumerandae ſunt, ut pateat (§°. inſequenti) quantum ceteris cauſſis robur addat, ac efficiat, ut morbi obtineant unius lateris, futuri non ita facile, niſi tales proprietates, talisque fabrica in celluloſo praeſentes eſſent textu.

Totum H. C. textu fere celluloſo conſtare videtur, ita tamen ut pro diverſâ modificatione, organiſatione, & virium vitalium temperaturâ aliam nanciscatur

(*m*) Vid. hujus Cap. §. II. pag. 41.

catur figuram, formam & directionem, alia & diverſa conſtituat organa, alias diverſasque perficiat functiones. — Reliquum itaque, quod hujus textus celluloſi remanet, informe & inorganicum, compactum & complanatum membranas efformat, interſtitia organis noſtris vacua relicta replet, connexionem cum omnibus N. C. partibus organicis ſuſtinet, ac Corpori integro involucro atque integumento inſervit. — Hanc functionem dum adimpleat, generalem etiam qualitatem omnibus partibus N. C. privam & inſitam, vitam ſcilicet, poſſidet, quâ ipſâ ad contractiones proprias peragendas, & hinc functiones quasdam perficiendas, apta redditur.

Hanc ejus conformationem & actionem tam eleganter expoſuit Clar. van Geuns (*n*), ut Ejus verba adduxiſſe expediat. „ Sunt autem, primo, „ fibrillae laminulaeque tales inorganicae vario ſitu, decurſu & implicatione ita inter ſe contextae, ut telam aliquam referant minus regularem, „ quae compacta & complanata membranas efficit, „ etiam inſigniores, quaeque convoluta vaſorum „ plurimam conſtituit ſubſtantiam, imo per totum „ corpus, celluloſae telae nomine, extenſa, & „ frequenter adipe referta vacuitates inter partes „ fere replet, vaſorum dein decurſum firmat ipſaque vaginis inſtruit, cum iis quoque omnem viſcerum & glandularum ſubſtantiam fere conſtituit, quam Veteres παρέγχυμα dixerunt. Conſti-

„ tu-

(*n*) In Diſſert. laud. §. VIII & XVIII. cum adjectis notis, vid. Diſſert. Med. Theſ. Cl. Sandifortii, Tom. III. p. 534 & 543. — Conf. etiam doct. Bikker in cit. Diſſert. p. 50. art. 5. ubi dicit, „ altera eſt uniformis conſtrictio, qualis contingit in membranâ celluloſâ, „ cute, ejusque poris, acri quodam inſtigatis."

„ tutione interim ſua, firmitate, denſitate, duri-
„ tie, colore, fibrillarumque & laminularum ſubti-
„ litate, implicatione aliisque proprietatibus in ſin-
„ gulis fere partibus, ſed praecipue in viſceribus
„ variat haec tela, & varie etiam inde in diverſis
„ partibus, ſi vitaliter agendi quandam facultatem
„ habeat, agit. Videtur porro ipſis etiam parti-
„ bus durioribus, cartilaginibus oſſibusque, ortum
„ largiri. Efficit adeoque longe maximam corpo-
„ ris integri partem tela celluloſa varie formata.

„ Cum vero telae celluloſae tanta ſit in corpore
„ dignitas, hinc merito etiam de ipſius vi vitali in-
„ quiritur. Non poſſe de intricata fibrillarum &
„ laminularum ejus implicatione regulares adeo &
„ inſignes promtasque actiones & ab actione re-
„ miſſiones exſpectari, quales fibrae muſcularis
„ nobilior natura & fabrica ſuppeditat, facile pa-
„ tet. Videri autem ſingulis ejus fibrillis contra-
„ hendi quandam vim, quamvis forte non ubique
„ in corpore, vere vitalem, eſſe adſcribendam,
„ cujus mutuo concurſu aliqua etiam, vel propria
„ actio, e. g. aequabilis canalis vel cavitatis quam
„ tela circumdat conſtrictio, vel actionum fibrarum
„ muſcularium, quas in ipſis muſculis ubique inter-
„ ſtinguit, in vaſis vero & viſceribus varie con-
„ nectit, directio & adjumentum ſiſti poſſit, ex
„ ſequentibus pateſcere puto. Partium & cavorum
„ plurium, quorum adſtruxi vim propriam acti-
„ vam, plurima ſubſtantia celluloſa eſt; ſic uterus
„ inprimis, cujus tam inſignis eſt atque valida con-
„ trahendi vis, modicam valde continet fibrarum
„ vere muſcularium copiam, ſed totus fere denſa,
„ ſtipata, ad cervicem maxime compacta, fibrarum
„ irregularium celluloſarum implicatione contexi-
„ tur. Membrana ſcroti dartos, pro vera celluloſa
„ habenda, evidenter admodum ſe conſtringit ad

 „ fri-

„ frigoris vel venerei orgasmi ſtimulum. Cutis,
„ quae, praeter vaſa & nervos, celluloſa tela arcte
„ compacta eſſe videtur, per varias cauſas ſe con-
„ ſtringit pellem anſerinam, ut vocant, faciens,
„ quod & in morbis evenit; ſed & exſciſſum de
„ animali vivo fruſtum ad ſtimulum vel & ſolum
„ frigus convolvitur. Ipſius denique communis
„ celluloſae membranae vivum exſciſſum fruſtum
„ acri liquore tactum cum impetu ſe conſtringit.
„ Non video itaque, cur celluloſis etiam fibris,
„ quibusdam ſaltim, à muſcularibus forte maxime
„ irregulari fibrillarum ſuarum implicatione diffe-
„ rentibus, quandam ſuam vitalem vim abnegem."

Ex hiſce itaque proprietatibus, Textusque Celluloſi communicatione cum omnibus corporis partibus repetendos autumo morbos unius lateris, ſi ſola ejus dimidia pars ſtatuatur adfecta: nec meliori modo cognoſci poterit, quî rubicunda, alba vel nigra fiat dimidia lingua, aliis adfectis partibus, quae communicatione membranarum ſuas noxas organis connexis imprimunt. Sic ex diverſâ celluloſae fabricâ, ſi uno in latere pellucidior ſtatuatur, idea icteri unius lateris clarior evadit. Nec abſonum mihi videtur, inde criſin lienis per ſiniſtras nares repetere ſalutarem, quippe quae vaſis communicantibus directe difficulter admodum extricaretur.

Egregia ſane ſunt, noſtraeque ſententiae robur, ut puto, addentia inſigne, quae ea de re propoſuit Doct. Th. Bordeu (*o*). Non quidem tamen dixerim ex ſolis illis, quas enumeravimus, proprietatibus, omnia phaenomena explicari poſſe adeo facile: conferunt ſane huc ante dictae partes,

(*o*) Per omnem ambitum Tract. cui titulus *Recherches ſur le Tiſſu muqueux ou l'organe cellulaire*, editi Pariſiis 1767, in 8., qui totus hac de re perlegi meretur.

tes, earumque actiones, quae, ut à celluloſa ſuas actiones mutuantur, ſic eidem illae actiones impertiunt, quapropter dictorum illorum veritas (§. inſequenti) eluceſcit clarius. —— Eſt tamen tunicae celluloſae, ex ſuâ ipſius fabricâ proveniens, adjuncta proprietas, quae morbis unius lateris quam maxime favet: nimirum dividitur haec praeſertim in ſuperficie corporis, quâ cutim conſtituit, in duas partes, ita ut à capite ad calcem diſtinguat quaſi C. H. in portiones aequales. —— Indicavit hanc eleganti, ut in ceteris, ſtilo Doct. LORRY (*p*), ubi inquit: „ Demum in morborum cu„ taneorum hiſtoriâ illud non erit inutile anno„ taſſe, cutem humanam, per totum corpus ae„ qualiter diffuſam, poſſe tamen & debere in duas „ partes aequales dispertiri, quarum una laevam „ occupet corporis partem, altera dextram. To„ tumque corpus, quantumcumque patet, in duas „ haſce partes eſt diviſum, plicâ quâdam conval„ lem utramque efficiente, ac deinde ab hâc quaſi „ lineâ partem utramque diſtinguente quaſi à cen„ tro ſeſe diffundentem. Id certè à cellularis tex„ tus ſuppoſiti ſtructurâ eſſe repetendum evidens „ eſt; qui textus cellularis ſimilem experitur par„ titionem. Sic totum C. H. in duas aequales par„ tes externas dividitur ad Hippocratis mentem. „ Quae quidem partitio magni momenti à divo Se„ ne habita, an in enodandâ morborum theoriâ, „ & ſtabiliendis tum metaſtaſεων, tum revulſio„ num praeceptis, aliquam obtineat dignitatem, è „ morborum phaenomenis, eorumque attenta ob„ ſervatione, divinandum eſt, plusquam ex ana-

„ tome

(*p*) Tract. de morbis cutaneis p. 20. in fine & 21. edit. Pariſiis 1777, in 4to.

„ tome ſubtilius excultâ. Haec obſervatio Medicis digniſſima. ".

Hanc obſervationem ex cellularis tunicae ſcrutinio anatomico accurato deduxit optime ante jam laudatus BORDEU (*q*), quae, ut hanc rem abſolvant, longiora licet quodammodo, gallico idiomate hic adjicere in Nota liceat.

At-

(*q*) L. cit. à pag. 68. ad pag. 75., ubi ſequentia de hac re habet. ,, *Il en eſt un* (coarctatio cutis nimirum, de qua ante egerat) ,, *qui paroit meriter une attention particuliere. Il* ,, *diviſe le corps en deux parties égales, à droite & à gau-* ,, *che, il a été indiqué dans les* Recherches ſur les Glandes, ,, *ſous le nom de* raphé *général; c'eſt un plan réel de ſépara-* ,, *tion entre les deux côtés du corps, & non point un être* ,, *imaginé par les Anatomiſtes.*

,, *En effet, on trouve évidemment, entre les deux cuiſſes,* ,, (*au* raphé *proprement dit*) *une eſpece de* couture *ou de* ,, calloſité *naturelle, qui n'eſt qu'un étranglement de la peau,* ,, *& qu'on ſuit aiſément par devant & par derriere dans les* ,, *deux ſexes; le dartos eſt ſéparé en deux par une cloiſon,* ,, *ainſi que la verge. La ligne blanche commence au-pubis,* ,, *qui eſt diviſé lui-même en deux parties latérales par un* ,, *cartilage mitoyen. La peau qui recouvre le ventre, eſt auſſi* ,, *bien que l'organe cellulaire, plus reſerrée ſur la ligne blan-* ,, *che qu'ailleurs. On trouve en entrant dans le bas ven-* ,, *tre, & mettant, pour un moment les viscères à part,* ,, *le méſentere qui eſt fait par l'adoſſement des deux plis du* ,, *péritoine. Le diaphragme eſt diviſé en deux muſcles, très* ,, *evidemment vers l'épine du dos, & aſſez ſenſiblement vers* ,, *le ſternum. Le médiastin reſſemble beaucoup au méſentere.* ,, *La trachée elle même porte l'empreinte des deux portions des* ,, *poulmons. On trouve le raphé bien marqué dans la glande thi-* ,, *roïde, dans le cartilage de ce nom, dans le cricoïde & dans l'é-* ,, *piglotte. L'oeſophage & le pharinx ſont ſéparés, ſurtout poſtérieu-* ,, *rement, par une ligne blanche fort apparente ou par un entrecroiſ-* ,, *ſement des fibres.* Hippocrate *connoiſſoit la ligne médiane de la* ,, *langue. La machoire inférieure reſte long temps diviſée vers* ,, *le menton, & lorſqu'elle eſt unie, elle porte une ligne*

,, *ſail-*

Atque haec omnia ſi quis conſideraverit, invenerit, ut opinor, in ipſa cute & ſubjecta tunicâ celluloſâ

„ *ſaillante fort apparente. Le palais a ſa ligne depuis les*
„ *deux inciſives ſupérieures jusqu'à l'extrêmité de la luet-*
„ *te. Les os maxillaires ſont unis dans cette ligne. Les*
„ *levres ont leurs brides dans la même ligne. Les narines*
„ *y ont leur cloiſon. Le nez n'eſt que l'union latérale de*
„ *deux tuyaux ou des deux narines adoſſées; ſes os propres*
„ *aboutiſſent aux deux côtés du frontal, qui reſte long*
„ *temps diviſé, & qui contient une cloiſon verticale dans ſa ca-*
„ *vité. Les muſcles ſourciliers & les frontaux ſont ſéparés*
„ *par un plan mitoyen, qui étrangle la peau. Tout le mon-*
„ *de connoit la future ſagittale, ainſi que la faux, le corps*
„ *calleux, l'adoſſement des tubercules qui ſont dans les ven-*
„ *tricules du cerveau, & la crete de l'os étmoïde. La moële*
„ *allongée & la moële épiniere ont leur corps calleux. Les*
„ *vertebres qui ſont diviſées en pluſieurs parties dans les jeunes*
„ *ſujets, ont leur apophiſes épineuſes, ſur les quelles la peau*
„ *eſt plus étranglée que vers les côtes; cet étranglement com-*
„ *mence vers la tubéroſité occipitale, & va aboutir au cox-*
„ *cis; il commence par une ſorte de ligament cervical, &*
„ *finit de même, en aboutisſant au raphé entre les cuiſſes;*
„ *en un mot, il eſt aiſé de voir que le plan de ſéparation,*
„ *dont il eſt queſtion, exiſte en effet; qu'il eſt l'aboutiſſant*
„ *où les fibres & les vaiſſeaux viennent ſe joindre & s'entre-*
„ *laſſer comme les branches des deux arbres voiſins."* Eandem inſuper in vaſis viſceribusque diviſionem locum habere deſcribit, tandemque concludit: „ *Le corps paroit donc compoſé*
„ *de deux moitiés adoſſées l'une à l'autre . . . & . . .*
„ *la maniere de concevoir le corps (ainſi), ne laiſſe pas de*
„ *répandre du jour ſur l'explication de certains phénomènes*
„ *de l'économie animale. Nous en conclurons ici ſeulement,*
„ *que la ſubſtance cellulaire eſt étranglée dans toute ſa par-*
„ *tie moyenne, & diviſée en deux portions latérales, ſes ba-*
„ *lons ou ſes poches ſont, pour ainſi dire, affermies ſur l'axe*
„ *du corps, d'où elles s'étendent de coté & d'autre, ce qui*
„ *leur donne d'autant plus de force, qu'elles ſont appuyées*
„ *ſur une baſe plus ſolide. Ceci nous indique, que les ma-*
„ *tieres contenues dans un des côtés du corps & qui pene-*
„ *trent la ſubſtance cellulaire, ont beaucoup plus d'aiſance à*

„ *s'eten-*

loſà cauſſas praediſponentes, quibus unius lateris morbos explicare poſſe crediderit. — Subſiſtendum autem in hiſce ulterius enucleandis hic eſt, atque nunc in quantum omnes praedictae Cauſſae conjunctae, & proinde etiam Textus Cellularis, coöperentur ad adfectiones praedictas, inquirendum venit.

## §. IX.

*Quid combinationes Legum Mechanicarum & Dynamicarum, & uniuscujusque Syſtematis connubium efficiant.*

Luſtravimus nunc, quid ſingula haecce ſyſtemata, quid Cauſſae Mechanicae & Dynamicae, Vaſorum actio, Nervorum ἐνεργεῖα & Tunicae Celluloſae Contextus ad morbos unius Lateris per ſe ſpectata, contribuere videantur; at vero, ſi vel obiter etiam conſideremus, quantum, ut una N. C. functio juxta leges naturales procedat, quantum multo magis ut omnes ſuo fungantur officio, requiratur, ut haec ſyſtemata coöperentur, coadjuvent ſe, atque integra, combinata & conſociata ſint; mirabimurne & ab hoc influxu, ab hoc connubio, pendere ante dicta unius Lateris phaenomena? „ Sic „ facti (ut recte inquit Cl. Haenius (r)) a „ Summo Numine, ſic conditi ſumus, ut vix „ dentur in corpore alicubi adfecto partes, quae „ angi ac dolere partem ſociam torpidae atque o„ tioſae patiantur."

Cor-

„ *s'étendre en haut & en bas, qu'elles n'en ont à paſſer d'un* „ *côté à l'autre; ce qui rend raiſon de quelques ſymptômes des* „ *maladies.*"

(r) Diſſert. de Colica Pictonum, Ed. 1745. Hagae Com. p. 32. nunc denuo inſerta Rat. Med. Continuatae T. III. ſeu Oper. Poſthum. Vol. I. p. 363.

Corpori itaque dimidio etſi inhaereant cauſſae praediſponentes ex fabricâ & ſtructura partium functionumque ſingularium, non ſufficit ſane ſaepiſſime, ut haec tantum adfecta priva pars in dimidio corpore illius demum producat lateris morbos. Requiritur ſaepe, ut omnia, aut ex omnibus aliqua ad minimum, coöperentur ſyſtemata, quo iſti unius lateris producantur morbi, non producendi, niſi & diſpoſitio & fabrica variarum partium, & coöperatio mutuumque obtinuiſſet connubium. Clarius hoc fiet, ac conjecturis noſtris, credo, de unius lateris morbis majus addet robur, ſi horum exempla quaedam adduxerim, quae demonſtrationi inſerviant.

Vaſculoſum ſyſtema, etſi actuoſum per ſe & vi vitali praeditum, ut functiones ſuas peragat juſto modo, ſyſtematis nervoſi influxum poſcit requiſitum, & illud eo conferre probant certo nervi, per ipſam vaſorum ſubſtantiam decurrentes, in majoribus viſibiles (s), in minoribus juſtâ analogiâ deducendi (t). — Nec declarant minus abnormes ſan-

(s) HALLERUS El. Phyſ. Tom. I. Sect. I. L. II. §. XII. pag. 69 & 70., ubi intercoſtales nervi arterias carotides earumque ſubnaſcentes ramos perreptare; nervi cardiaci ſuperficiales faciem anteriorem arcus aörtae incedere; meſentericam arteriam, meſocolicam, coeliacam integri plexus nervei à magno abdominis ganglio nati circumplicare aſſeruntur. Cf. & Tom. II. pag. 206 & 213. & de Part. C. H. praec. Fabrica & Functione Tom. I. p. 134. Ed. in 8vo.

(t) HALLERUS Ibidem ait: „ Neque dubium eſt, cum „ nulla absque nervo fibra muſcularis ſit, & cum absque ea „ vi, quae per nervos advenit, debilis omnino ſit ea potentia, qua eae fibrae contrahuntur, nervulos adeo ad car„ neas fibras arteriarum accedere, etſi nemo, quantum me„ mini, ejusmodi ſurculos demonſtravit." Cum hiſce confer. VERSCHUIR l. cit. Cap. I. §. XVII. pag. 13. Verbo hic monere liceat, non ita debilem vaſorum fore actio-

ſanguinis motus, ab aliâ cauſſâ non facile repetendi (*u*). — Et, quod de ſyſtemate vaſculoſo diximus, eundem tenere gradum vice converſa de Syſtemate Nervoſo & Lymphatico, nemo ſane in Medicinâ ut ignoret adeo hoſpes eſt. — Praeterea etſi Textum Celluloſum activitatem quandam habere diximus; omnem tamen, ut ita dicam, organiſationem & actionem repetit à vaſis ſanguiferis, lymphaticis & nervis, per omnem ejus plagam diſperſis, ita ut haec illum regere, illa ab hoc regi, non immerito opinandum ſit. Quod ſi porro conſideremus, eundem illum textum celluloſum laxitate vel rigiditate peccare poſſe; eumque, ab acri irritatum, hoc cum intertextis partibus communicare poſſe, ac iis impertire (additis ſimul ejus diviſione in duas plagas laterales aequales, continuatione membranarum, ejusque connexione cum omnibus partibus) fontes invenio, ex quibus totidem Dimidiati Corporis profluere poſſint adfectiones morboſae.

Si denique, haec omnia contemplantes, à Naturâ totum quaſi Hominem in Syſtemate Vaſculoſo, Lymphatico, Nerveo, Celluloſo, aliis bipartitum videamus, ac omnes partes ut conſpirantes inter ſe, ſic etiam dilectu quodam vicinas praeprimis conſociatas, & alteras alteris inſervientes intueamur; nonne concludere licet, morbos unius lateris ea propter oriri, quod cauſſae in Dimidio Homine concurrant nonnunquam mechanicae, à vaſorum amplitudine, majori vel minori; numero in uno latere aucto vel im-

ctionem, niſi nervis arterias ſupponas inſtructas: ad arteriarum integritatem requiri nervorum actionem non quidem negaverim; at ſimul tamen ab earum vi inſita, contractili, magnos, ſi non maximos, edi effectus, certiſſimum habeo.

(*u*) Verschuir Ibid. Cap. II. §. XII. pag. 43 & 44. & Cap. III. §. XXVII. pag. 76.

imminuto; debilitate, laxitate, vel rigiditate; ambientium fulcro imminuto vel adaucto, repetendae: vel quod illorum morborum cauſſae dynamicae ſint, ſuam non raro ſortientes originem ab actione vaſorum abnormi aut imminutâ in uno alterove latere; vel quod S. Nervoſum in uno latere actuoſius, vel debilius operetur; vel quod ſuo officio non fungantur vaſa lymphatica; vel quod continuationes membranarum hic ſuam ſymbolam conferant; vel porro quod, ut ipſa cutis ſtructura ad morbos dimidiatos coöperatur, ſic major etiam cutis actio, transparentia, laxitas, vel rigiditas, aliaeve qualitates in uno vel in altero loco hiſce in morbis ſuas ſuſtineant partes: vel denique quod ſaepe hae partes ſive ſingulae, ſive omnes conjunctae, ita conſpirent, ut juxta axim corporis, modo non ita cognito, adfectae, ex ſyſtematum horum omnium conſociatione & contubernio, dicta producant phaenomena?

Atque ſic, ut ante dictorum faciamus compendium, & explicationis efficiamus finem, cum ſummi Pathologi verbis (v) hic concludere liceat, „ Conſenſus iſte quidem inter Oeconomiae humanae ſyſtemata, functiones, partesque omnes univerſalis eſt: at propiorem tamen magisque peculiarem aliorum cum aliis inſuper dari, certa obſervationum fide conſtat; etſi rationem ejus legesque haud ſatis liquido perſpiciamus. Credibile, non una modo, ſed pluribus niti conditionibus, harumque principem in genere nervoſo; deinde in ſyſtemate circulationis; porro in continuitate membranarum (x); tum in vaſorum communitate. . . Quin & huc facere poteſt vicinia partium, & „ col-

(v) Inſt. Path. Med. §. 864.
(x) Addere liceat *S. Lymphatico.*

„ collocatio declivior, aut ex diametro oppoſita,
„ actionumve aliqua cognatio. Prout igitur plura
„ aut pauciora horum una concurrunt, ita varii
„ ſympathiae gradus naſci videntur. Nec praeter-
„ eunda vis vitalis, quae cum & latiſſime per uni-
„ verſum corpus diffuſa ſit, nec aequaliter tamen
„ aut in ſingulis partibus, aut in quibusvis homi-
„ nibus, vigeat, & ampliſſimo ſimul polleat con-
„ ſenſu, quam plurimum ſane hic valere debet."

Atque hae ſunt conjecturae, quas de *Unius Lateris morborum Cauſſis* proponendas habui.

---

# CAPUT III.

## NUM VENAE SECTIO IN PLEURITIDE, ALIISVE MORBIS, E DIRECTO, AN IN OPPOSITO LATERE INSTITUENDA SIT, EXPONENS.

### §. I.

*Agendi Ratio, ob Auctorum diverſas opiniones, traditur.*

Quaeri certe jure poteſt, ſanguis ſi debeat educi, utrum, quodnam vas aperiatur, indifferens ſit, aut, uno latere adfecto, utrum adfectae partis (quod e directo, κατ' ἴξιν, dicunt (y)) an oppoſitae venae ſecandae ſint.

Non

(y) Per V. S. κατ' ἴξιν, ſive *per directum*, intelligitur illa, quae fit ſecundum rectitudinem partium, ſive eandem directionem, ita ut in dextro latere adfectâ parte aliquâ

Non potui celebratam hanc omittere Quaeſtionem medicam, dum ex profeſſo de Dimidii Hominis adfectionibus earumque Cauſſis tractare in animum induxeram. Ante dicta autem cum quis attenderit oculo Philoſophico, atque ex iis didicerit, per omnem Medicinae ambitum annalibus medicis inſertas Dimidiati, ut ita dicam, Hominis morborum hiſtorias, interque illos tales, qui virium inſitarum efficacia victi, omnium luculentiſſime ob oculos poſuerunt, eſſe, ut omnium partium inter ſe, ſic etiam particularium, ſic dimidiae noſtrae machinae conſpirationes ac conjugia ſodalitia: ſi quis cogitaverit praeterea (id quod mihi paginam hic abſolvere videtur) curioſam Naturae obſervationem & imitationem, ut primam Arti originem, ita incrementa dein dediſſe, daturamque ulterius; ac rectiſſime proinde Naturam morborum medicatricem, Medicum Naturae miniſtrum, illique honorem habendam ſervitutem, invitus etiam agnoſcere fuerit coactus; omnemque doctrinam medicam, ſi bonae futura ſit frugis, ad hanc normam per imitationem compoſitam debere eſſe, perpenderit; ille etiam, auxilia morbis convenientia, & V. S. inprimis, in ipſâ adfecta parte, vel ejus viciniâ (ut morbo & ſuccumbenti onere oppreſſas partes, cauſſas in ipſo loco adfecto aggrediendo, ſublevare tentet) adminiſtrandam eſſe facile

quâ eodem in latere etiam tundatur vena; & ſic de ſiniſtro latere idem ferendum judicium. —— Cum per ipſius materiae tractationem abunde ſatis patebit, hunc horum vocabulorum Veteribus, & qui illos inſecuti ſunt, Neotericis fuiſſe ſignificatum, plura de hiſce addere inutile eſt. Qui tamen plura vellet, conferre poterit HIPPOCRATIS Oeconomiam in voce ἴξις & κατ' ἴξιν, nec non GALENUM in HIPP. Comment. variis in locis, & BRISSOTUM in Apolog. diſceptatione pag. 103. & ſeqq., aliosque.

cile credere poterit. —— Crederem & ego, niſi tam diſparem hac in re ab Artis usque noſtrae incunabilis offenderem agendi modum, ut nullum ferme de ea differentem reperias, quin in diverſam inclinet partem, hanc illamve mordicus tueatur ſententiam, his illisve argumentis quaeritet diverſa, prout Natura, vel ſua potius ſibi ingenioſe conficta, dextre perpolita, & ſcientificâ quaſi methodo propoſita hypotheſis monſtrare videatur, quaenam in medendo ſequenda ſit via, eamque certam ſibi habeat.

## §. II.

*Sententia* HIPPOCRATIS, GALENI, *Aliorumque, qui ſanguinem è vena affecti Lateris educendum eſſe, putarunt.*

Hanc igitur materiam ut enucleëmus, enumerabimus illos Auctores, qui hac de re egerunt, atque agmen hic ducet Medicorum Fax HIPPOCRATES (z), qui, de pulmonum laterumque agens inflammatione, attendendum eſſe praecipit, num alterutrum, aut utrumque adfligat latus, additque: „ His haec inſtituenda curatio, ſi quidem dolor „ ſurſum ad jugulum tendat, vel ad mammam & „ brachium, internam brachii venam ſecare opor- „ tet, *ea parte*, *quâ dolor adfligit*, & ſanguinem „ detrahere pro corporis habitu, &c. " Hunc locum, ubi manifeſtiſſime in adfecto latere V. S. praecipit, pluribus augere foret facile, verum cum producendis GALENI dictis ipſiusque in HIPPOCRATEM Comment. producere ea neceſſe ſit, hic ſubſiſtere liceat.

Or-

(z) L. de Rat. Vict. in Morb. Acut. p. 401. Ed. Foeſ.

Ordine inſequentem produco GALENUM. Hic innumeris fere locis HIPP. illud dogma ſtabilivit, inter quos referre lubet ſequentes. — De evacuatione humorum variis ex partibus adfectis agens (*a*), cum ſemper vicinitatem partium obſervandam praeceperat, haec ſcribit: „ Ea quippe evacuatio facillime & optime fit, quae per venas „ vicinas & affines parti adfectae fiat. " —— De revulſione non per V. S., ſed per cucurbitulas ſermonem miſcens, inquit: „ Adjumento eſt, ſi, „ ubi nimium ſanguis fluit è naribus, praecordiis „ (hypochondria Graeci dicunt) affigatur cucur- „ bitula (*b*). " — Hac de doctrina duo alia elegantiſſima nobis reliquit loca (*c*), ubi docet HIPPOCRATI V. S. & criſes eſſe obſervatas, illasque adeo eſſe veras, ut in morbis hepatis, lienis, pleuritide, aliis, niſi ita fiant, vel nihil prorſus juvent, aut ſi quid juvent, tardiſſime; cum contra, quae *per directum* fiunt, momento ſaepe citius, & miraculi adinſtar, adſerant auxilium. Ne longior ſim, mentem GALENI hic tantum expoſui, cum alias verbotenus illa ob praeſtantiam exhibere conveniſſet. — HIPPOCRATICAM illam doctrinam iterum inculcat in Libris ad GLAUCONEM de *Arte curativâ* (*d*), praecipitque κατ' ἴξιν tundendam eſſe venam, cum dextra, vel ſiniſtra pars locorum muliebrium; ſplen; hepar; ſynanchae; & opthalmiae dextram vel ſiniſtram occupaverint partem. Nec ſubſiſtit hic illius Auctoris hac de re monita proferre: percurrite mecum va-

ria

(*a*) Lib. de Conſtit. Artis Med. Cap. XVII.
(*b*) Lib. de Revulſione Cap. II.
(*c*) Lib. de curandi Rat. per Sang. miſſionem Cap. XV & XVI.
(*d*) Lib. II. Cap. II.

ria adhucdum Ejus Operum loca, ut in *Comment. in Lib.* HIPP. *de victus rat. in acutis* (*e*), in Libro GALENO adſcripto *Praeſagium experientiâ confirmatum* (*f*), in *Lib. Meth. Medendi* (*g*), aliisque, & ubivis hanc rem inculcatam comperietis. Oporteret quidem, cum rei dignitas id poſceret, atque Ejus Praecepta fundamentum quaſi praebuerint omnibus, qui GALENUM ſunt inſecuti, Medicis, ut plenius haec traderentur; verum, cum ſic in longum nimis extenderetur voluminis ratio, relego Legentem ad binos elegantiſſimos, eosque raros tractatus PETRI BRISSOTI & RENATI MOREAU (*h*), ubi plurima GALENI citata loca fuſius reperiet expoſita.

Hanc doctrinam cum ſtabiliverant HIPPOCRATES & GALENUS, atque in variis morbis, unius lateris partes occupantibus, adhibendam inculcaverant, eos in variis per V. S. juvandis morbis, praeſertim autem in Pleuritide, preſſo pede inſecuti ſunt Auctores plurimi, quos inter referendi ſunt, STEPHANUS ATHENIENSIS, ORIBASIUS, ACTUARIUS, CONSTANTINUS, BRISSOTUS, CURTIUS, FUCHSIUS, PUTEANUS, EMERICUS OPPAVIANUS, MONTANUS, AKAKIA, FONTANONUS, TAGAUTIUS, JACCHINUS, CASSANUS, FERNELIUS, AMATUS LUSITANUS, RON-

(*e*) Comment. II. art. 10. & Comment. IV. art. 73.

(*f*) Cap. IV.

(*g*) Lib. V. Cap. III. & Lib. XIII. Cap. XI.

(*h*) Titulus tract. hic eſt: *Apologetica diſceptatio, in quâ docetur, per quae loca ſanguis mitti debeat in viſcerum inflammationibus, praeſertim in pleuritide.* Ed. Pariſiis 1622. Huic adjuncta eſt RENATI MOREAU Διάλεξις *de Miſſione ſang. in pleuritide.* Ibid. eodem anno. Non igitur prodiere hi Tract. bini Anno 1630. quemadmodum ſcribit Ill. SWIETENIUS Tom. III. p. 41. Horum altera editio parum maculata prodiit Halae 1742. in *8vo.* BRISSOTI tractatus ſolus primum prodierat Pariſ. 1525.

Rondeletius, Crato, Valesius, à Vega, ab Altomari, Argenterius, Joubertus, Hollerius, Carvinus, Mercatus, Massaria, Sclanus, Laurentius, Pietraeus, Riolanus Fil., Carolus, aliosque innumeros, quorum omnium dogmata atque argumenta, ad ſeriem temporum, quibus vixerunt, incomparabili labore expoſuit ante jam laudatus Moreau (*i*).

Poſteriori dein tempore alii iterum hujus V. S. inſtituendae in adfecto latere meminerunt Auctores, inter quos nominandi ſunt Ill. Swietenius (*k*), Cl. Trillerus (*l*) aliique (*m*), quorum prior obſervationibus credendum hic maxime putavit, illisque convictus in adfecto latere V. S. celebrandam voluit. Alter directa in hac inſtituit experimenta, cumque didiciſſet, adfecto in latere tuſis venis longe citius ſanari pleuriticos, quam ceteros, quorum oppoſita ſecta erat vena, quasnam ſuſtinuerit partes, concludere facile eſt (*n*).

Nec

(*i*) A pag. 7. ad pag. 71., ubi ſimul & eorum Auctorum libri citati inveniuntur, ita ut otium nobis hic fecerit Auctor ille inſignis.

(*k*) Comment. Tom. III. p. 41 & 42.

(*l*) Diſſert. de Pleuritide pag. 30.

(*m*) Conf. mox citandum Tract. Wipacheri pag. 6 Nota (*y*).

(*n*) Confirmat horum Auctorum dicta obſervatio Clariſſ. Werlhofii invenienda in Commercio Norico ann. 1735. D. 24 Febr. & in Oper. omn. Parte III. p. 763. Haec ita ſeſe habet. „ Vocabar ad juvenem pleuritide epidemiâ, „ ex vera & notha mixta, eodem die correptum, cum im- „ menſis lateris dextri doloribus. Spirabat difficulter, pa- „ rum ſanguinolenti exſcreabat, cum tuſſi moleſtiſſima, „ febrem habebat magnam inflammantem, in neutro decum- „ bere poterat latere, pulſus pleuriticus erat, urina flam- „ mea. Acceſſerat ante me Chirurgus, & properaverat „ venae in ſiniſtro brachio apertionem. Superveniens ego „ eodem momento, emiſſis jam tribus fere unciis ſangui-

L „ nis

Nec omittendum eſt Davidem Wipacherum juniorem (*o*) Pleuritide adfectorum triginta & ſeptem hiſtorias ab aliis, aut à ſe ipſo obſervatas tradidiſſe, in quibus omnibus adfecti Lateris fuit pertuſa vena, eo cum ſucceſſu, ut, adjunctis remediis convenientibus, ad unum omnes reſtituti fuerint in integrum. Quem catalogum ne quis inſufficientem adhucdum praedicaret, in fine ſuarum obſervationum Legentes relegat ad Dureti Commentarium in Hollerii Praxin, Hildani Cent. Obſervationum, Horstium, Forestum & nobis jam citatum Trillerum.

## §. III.

*Variae, quas pro Venae Sectione κατ' ἰξιν Auctores memorati adduxerunt, rationes adferuntur.*

Si directam V. S. praecipientium expendamus rationes, elucescit, Hippockatem & Galenum vel eo perveniſſe ut ſanguinem ex adfecto latere detraherent, quod ſic derivationem, eâque materiae im-

„ nis floridi atque ſani, non exiguo foramine, & cum ſaltu „ prodeuntis, claudi vulnus juſſi, & aliud ſat patulum in „ dextro fieri. Et en! Octo adhuc unciae ſanguinis flavi, „ fere plane cruſtoſi, qualis in ſumma pleuritide eſſe ſolet, profiluere, momentaneo cum levamine, & felici „ deinde morbi ſanatione. Sequenti die in pede lateris „ affecti aliam ad decem uncias V. S. inſtitui, & minus „ quidem, aliquantum tamen adhuc cruſtoſum, eduxi ſanguinem, cum inflammationis dolorisque ulteriori diminutione. Illi Veterum κατ' ἴξιν Venae Sectioni ſolidarum „ fibrarum ſyſtema, exquiſitius hodie cognitum, itidem „ patrocinatur."

(*o*) In Libro, cui titulus *Genuina Ratio, cur Pleuritide vera ſaeviente V. S. adfecti Lateris, alias Derivatoria dicta, praeoptanda ſit*, L. B. 1756. 8vo. Parte II. Cap. IV. à pag. 85. usque ad pag. 166.

impactae ſolutionem faciliorem producerent, vel eo potiſſimum, quod experientiâ ducti, feliciorem longe eventum ſe ſic ſortiri perſpexerint. Nullibi ab iis, quantum ego noverim, mentionem factam lego, quae fuerit ratio agendi, cum directam auſpicarentur V. S. potius, quam oppoſitam, niſi illius unicae, *experientiam in his Naturam imitandam docere:* Galenus enim ipſe in Libro de Venae ſectione, ut refert Brissotus (*p*), & Naturae imitationem & ſuam adducit experientiam, quaſi ea res ſolâ poſſet dirimi experientiâ, cum alioqui in minimis ſemper etiam addere rationes ſoleat.

Inter illos, qui poſtmodum hanc tractarunt materiam, Hippocratem & Galenum inſecuti, quos mox recenſuimus, aliqui ſunt, qui nullâ habitâ agendi ratione, experientiâ etiam tantum ducti, V. S. inſtituerunt directam. In his numerandi ſunt Oribasius & Claudius Carolus, quorum prior venam κατ' ἴξιν ſecuerat, quoniam viderat, Medicorum pleuriticis ſanguinis miſſionem, è directo laborantis lateris adhibitam, evidentiſſimam ſaepe adferre utilitatem, quae vero ex brachio oppoſito facta ſit, aut omnino obſcuram, aut certe conciliare tardam (*q*). Poſterior potiſſimum ideo illud praecipiendum credidit, quia uſus jam invaluerat, ut ſemper è directo ſanguis educatur in pleuritide, quamcunque ea etiam habuerit cauſſam (*r*).

Fuerunt iterum alii, qui evacuationem, revulſionem, vel derivationem majorem in adfecto latere orituram credentes, illam ſuarum actionum normam poſuerunt, eamque inſecuti ſunt: ſic Oppavianus V. S. inſtituit directam, ut materies, quae

(*p*) L. c. p. 12.
(*q*) R. Moreau l. l. p. 9.
(*r*) Ibid. p. 75.

quae jam fluxit, evacuaretur, & ut, quae fluere debet, prohiberetur (*s*). — Tagautius idem fere aſſeruit, cum in omnibus membris per directum V. S. inſtituendam (ſive repellere, id eſt ut inquit, in contrarium retrahere velis, ſive ad latus derivare, etiamſi adſit plethora) praeceperit, addideritque derivationem ad latus & ad vicinia debere fieri revulſione ad contraria (*t*). —— Nec abſimili utitur ratiocinio Cassanus: Is enim Hippocrate, Galeno, Oribasio, propriâque experientia ducibus, venam cum ſecaret, hujus inſuper agendi modum exponit: nimirum ſe ideo id in adfecto peragere latere 1°. quidem, quod diverſio materiae fluentis per locum directum ipſo loco, ad quem fluit, fieri debeat, 2°. quod eadem revulſio per partem communicantem cum illo membro, ad quod fluit, ſit peragenda, & 3°. quod revulſio per locum, non immediatum ipſi loco patienti, ſed per locum proximum ſit molienda (*u*). Eandem tuetur ſententiam Argenterius, ſcilicet 1°. ob revulſionem veram, cum nulla alia ſit rectitudo quam dextrarum partium cum dextris, ſiniſtrarumque cum ſiniſtris, & haud vice converſa, 2°. quod Pleuritides non per venam azygam, ſed per venas, quae decurrunt ad muſculos thoracis naſcantur; hae autem communicationem ſolam habeant cum venis brachii ejusdem lateris (*v*). Fuerunt iterum & alii, qui κατ' ἐυθυωρίαν venam in pleuritide tundendam praeceperunt, vel quia axillarem inter & cephalicam ab utroque latere quaedam enaſcatur vena, media fere ex axillari, quae inde obrepens in multas finditur venulas, quae in univerſum cum ve-

(*s*) Ibid. p. 33.
(*t*) Ibid. p. 37.
(*u*) Ibid. pag. 38.
(*v*) Ibid. p. 49.

venulis & ramis venae ἄζυγυ copulantur, ſicque ſecta jecoraria lateris adfecti non ſolum ex cavâ, verum etiam ex illis, in quibus ſanguis inflammatus continetur, educi crediderunt; vel etiam 1°. ut impurus ſanguis detrahatur, cum ſani lateris ſanguinem nihil prorſus vitii contrahere credebatur, & 2°. ut Naturae ductum ſequerentur, quae quanto potuit ſtudio breviores ac tutiores ſemper amat vias, & longiora repellit compita. Prioris ſententiae Auctor eſt AMATUS LUSITANUS, poſterioris CARVINUS (x).

Fuerunt denique adhucdum & alii, qui vel ideo, quoniam Natura C. N. ſolidis, fluidis & ſpiritibus bipartitum ſecuerit veluti quadam lineâ, duas ipſius partes diſtinguente, eo conſilio, ne una parte adfecta totum ſimul adficeretur corpus, V. S. directam celebrarunt, ut STEPHANUS ATHENIENSIS Auctor eſt; vel ob fibrarum rectitudinem, ut BRISSOTUS, quique cum eo ſtatuerunt MARTINUS & AKAKIA, qui V. S. oppoſitam adeo exhorrebat, ut enthuſiaſmo quaſi exclamet, quot hominum millia AVICENNAE aliorumque Arabum de ſanguinis miſſione ex oppoſito latere in pleuritide, aliiſque internis corporis adfectionibus opinio jugulaverit! & SIMON PIETRAEUS (PIÉTRE) ne latum quidem unguem à BRISSOTI dictis factiſque recedens (quamvis tamen, exiliores vel nimis idoneae ſi fuerint venae in adfecto latere, hic earum ſectionem in oppoſito religionem non habuerit); vel ut FERNELIO, SCLANO, VALESIO, VEGAE & JOUBERTO magis placuit, qui propter communem & rectam venarum ſocietatem, quae dextrum intercedit latus & ſiniſtrum (cum à dextro latere nulla vena rectis fibris in ſiniſtrum concedatur), vel quod idem eſt, ob mem-

(x) Ibid. p. 42 & 54.

membrorum ſocietatem, communionem & anaſto-moſin intercoſtalis venae cum ἀζύγῳ venis directis ſanguinem detrahi voluerunt (*y*).

Sunt & forſan alii, qui vel ſimilem ob rationem, aliamve his vicinam, illud dogma ſtabiliendum prae-ceperunt, verum dicta ſufficiant.

## §. IV.

*Aliorum Auctorum opinio de V. S. in adfecto Latere non inſtituenda exponitur.*

Tam ingentem qui Medicorum intueris cohortem (hujus Cap. §. II.), tam graves qui conſpexeris duces, toties fideli experientia qui V. S. adfecti Lateris confirmatam videris, crederesne Lector! & ſuos etiam habuiſſe Patronos ſententiam contra-riam; —— habuiſſe Viros (fateri illud convenit) qui Arabum opinionibus & barbari ſui ſaeculi fig-mentis fuerunt commoti etiam ſeverius; — ha-buiſſe tamen & alios, quibus non ita contranitendi deſiderium, quam veritatis inveſtigandae inbutum fuit atque intinctum conſilium? — In medium hic ſi protulero, quid inde varii de hac celebranda V. S. ſenſerint, horum etiam ignaros victas opor-tebit tradere manus. Atque haec quidem nunc pro-ferre noſtrum autumo, quia poſtmodum ſic adpa-rebit facilius, quaenam utriusque partis praepon-derent argumenta.

In omnibus morbis, ubi revulſionem vel deri-vationem neceſſariam crediderunt hi Auctores, aut ſemotiſſimas à loco adfecto venas, aut oppoſitas, tun-di

(y) De hiſce conſulatur ſaepius jam laud. Moreau paſſim in Tract. cit.

di voluerunt: inprimis tamen hanc quaeſtionem agitaverunt de V. S. in pleuritide, quâ propter & hic conſulere iterum expediet laudatum MOREAU, qui paſſim in ſuo Tractatu meminit, inter illos Auctores nominandos eſſe varios, qui oppoſiti lateris V. S. fuerunt patroni: inter illos ſcilicet fuere plurimi Graeci, ut ARCHIGENES (z), ARETAEUS CAPPADOX (a); Arabes, ut ABHUMERON, AVENZÖAR, AVERROËS, JOANNES PLATEARIUS; Latini Veteres, ut LUCIUS CAELIUS AURELIANUS (b); Latini Recentiores, ut ANDRAEAS THURINUS (c), HIEREMIAS THRIVERUS, BRACHELIUS, SYMPHRONIANUS, CAMPEGIUS, JUL. CAESAR SCALIGER, aliaque minus ſolita nomina.

Alia inſuper fuit Secta, quae non adfecti lateris aut oppoſiti, verum modo adfecti modo oppoſiti, brachiales quandoque, extremitatum inferiorum alias, tundebat venas, atque horum iterum magna eſt cohors: ſic ante jam laudato MOREAU recenſentur AËTIUS, qui, etſi modo inſequatur GALENUM, ARCHIGENEM alias, in pleuritide tamen venam ſecat è directâ (d) atque alii, ut ISAÄC ISRAËLITA, RAHZES, JOAN. MESUES, RABI MOYSES, AVERROES, ALSHARAVIUS, PETRUS APONENSIS, BERN. GORDONIUS, NICOLAUS, ANDR. CAESALPINUS, HEURNIUS, GENTILIS DE FULGINEO, GUIDO DE GAULIACO, VALESCUS DE TARENTA, MATTHAEUS DE GRADIBUS, JOAN. ARCULANUS, MARCUS GATTINARIA, BARTH. MONTAGNANA, ANT. GUAYNERIUS, JOAN. DE TORNAMIRA, ALEX. BENEDICTUS, &

(z) Vid. AËTII Tetrab. 2. Serm. 2. Cap. 68.
(a) Lib. I. de Morb. Acutis Cap. X.
(b) Lib. II. de Morb. Acutis.
(c) Epiſtola ad MATTH. CURTIUM.
(d) Tetrab. I. Serm. III. C. 12.

& alii, quos proferre inutile eſt, cum mox ſimus viſuri, eos easdem ob rationes hanc vel illam ſuſtinuiſſe partem.

## §. V.

### *Rationes pro oppoſiti Lateris V. S. a Variis adductae.*

Proponamus nunc, quaenam adverſariorum mox recenſitae ſententiae fuerint argumenta. Inter hos autem non tot aſſertas rationes legimus, cum horum multi praeceptum tantum, nullâ experientiâ, nullâ ratione munitum, ex tripode quaſi pronuntiarunt audacius. — Sunt tamen & inter illos, qui, cur potius una ex venis, adfecto lateri oppoſitis, tunderetur, tradiderunt: inter hos agmen ducit Aretaeus Cappadox, qui illud ideo juſſit, quod ſatius maxime duceret ſanguinem procul ab inflammatâ parte detrahere (*e*). — Averroës, quo utatur antiſpaſi, illam tantum praecepit (*f*). Aurelianus porro (*g*) ob rationes ante memoratas (quas me neſcire fateor) ſe oppoſitam ſecaſſe venam aſſerit. Denique Julius Caesar Scaliger ex oppoſitâ parte ſanguinem eſſe detrahendum Geometricâ adſtruxit demonſtratione: „ Etenim, inquit, ſi dolor latus ſiniſtrum invadat, indeque ſanguis educatur, plus trahetur à dextro in ſiniſtrum, quam dextrâ vena inciſâ in ſiniſtrum. Major enim eſt humorum copia inter circumferentiam dextram & doloris locum, quam inter eundem locum & „ cir-

(*e*) Moreau l. l. p. 7.
(*f*) Ibid. p. 15.
(*g*) Lib. II. de Morb. Acutis Cap. 18.

„ circumferentiam ſiniſtram. — Cum ergo (ſunt „ verba haec MORAVII (*h*)) vena ejusdem lateris „ inciſa non ſolum auferat è loco adfecto, ſed tra- „ hat ad locum adfectum, certum eſt malum ex ea „ detractione ſanguinis augeri, quod ſuis experi- „ mentis confirmat. — Interim non negat, fluxio- „ ne compoſita utilem eſſe ſanguinis ex eodem la- „ tere eductionem."

Tertia Secta (*i*) potiſſimum venam baſilicam & ſaphenam oppoſiti lateris primum, ejusdem poſtliminio ſecabant, quia ſic per antiſpaſin, fluente adhuc materiâ, oppoſita diverteretur, ut ſtatuere ISAAC ISRAELITA & AVERROES, vel fluente materiâ, corporeque plethorico oppoſitam; fixata autem directam tunderunt, inter quos fuerunt praeprimis RHASES, MESUES, RABI MOYSES, ALSHARAVIUS, GORDONIUS, GENTILIS, GUIDO, VALESCUS, & omnes, quorum antea mentionem fecimus, ob ſimilem vel huic adfinem rationem ſua ſuſtinentes dogmata (*k*).

Quae tantopere valuerunt ſuo tempore, aliisque tantam inducere potuerunt perſuaſionem, ut, tamquam ſi de aris eſſet litigandum, illi, qui aliter ſentirent, haereſeos culpam incurrerent, ſuique erroris poenam Martyrio quaſi luerent. Qua facta animadverſione, antequam ad caetera tranſeo, ducor quaſi, & neſcio quo impetu, an jocandi & deridendi, an potius praejudiciorum vim ſeverius caſtigandi, ut paucis explicem, quae dira, quae moleſta bonus ille BRISSOTUS, ex Latinis Recentioribus omnium primus, qui Pariſienſibus, dein Luſitanis, cum incredibili nominis ſui jacturâ, medendi uſu continuo &

(*h*) L. c. p. 34.
(*i*) Vid. §. noſtram praecedentem.
(*k*) MOREAU l. l. ante citatis.

& Apologetica tandem Diſceptatione V. S. directam docuit, perpeti debuerit. Nimirum ille ratione, experientiâ propriâ, atque HIPPOCRATIS & GALENI praeceptis doctior V. S. cum celebraret in adfecto latere, illamque ſuis inculcaret diſcipulis (ex quibus emiſſus unus in Suburbia Pariſiis proximâ, ubi Anno 1515 & 1516. periculoſiſſimae graſſabantur pleuritides, tam laeto ſucceſſu è directo venam ſecuit, ut omnes ad unum reſtituerit, plurimis eorum morientibus, aut in longum languentibus, quorum oppoſiti lateris ſecta erat vena) poſtmodum ſcientiae Medicae perficiendae in Luſitaniam trajecit, cumque ibi forte tunc temporis ſaeviſſimae infeſtabant pleuritides, eas cum curandas reciperet, ſua methodo feliciter evadebant omnes: Sed en malorum exordium! Etenim Luſitaniae Regis Archiater DYONISIUS, cumque eo varii, auctoritate ducti, aut Arabum erroribus impliciti, oppoſitam cum ſecare ſolerent venam, graves inde exortae lites: hic, ut accidit plerumque, quidam BRISSOTO (qui unus defendendae veritati, ceteris omnibus, falſa ſuſtinentibus, ſuperior certe fuiſſet, ſi contranitentibus inquirendi veri tantum fuiſſet deſiderium) dederunt patrocinia, alii cohorti DYONISII auxiliatrices praebuere manus; & cum vehementer admodum in utramque fuiſſet diſceptatum partem, jusque dirimendi negotii ad ACADEMIAM SALMANTICAM eſſet delatum, eo pervenit, ut Arabum aſſeclae per oppreſſionem à Judice Edictum auferant, atque extorqueant, ne ulli Medicorum adfecti lateris venas pertundere foret licitum. — Atque hac judiciorum acerbitate & ſeveritate pullulantem BRISSOTI doctrinam penitus coërcuiſſent & reſecaſſent, niſi aliud BRISSOTO addicti Medici ACADEMIAE SALMANTICAE Decretum impetraſſent, quo vera & genuina, aegrisque vere ſaluti-

tifera aſſereretur Brissoti doctrina. — Siccine litem compoſitam crederes? nil minus: Dionyſiani quippe ad Carolum V., Hiſpaniae Regem provocarunt, contendentes, non modo falſam eſſe Brissoti doctrinam, ſed impiam, exitialem, non minorem humanis corporibus perniciem, quam mortalium animis Lutheranorum ſchismata adferentes. —— Et parum certe abfuit, quin Caeſaris Majeſtas ſubſcripſiſſet, niſi, pendente lite, Caroli III. obitus ex pleuritide (in qua vena ſecabatur oppoſita, unde gemina pleuritis & praeceps, ut refertur, interitus) ſuſtinendo Brissoti partes, ſi dicere fas ſit, optatus, lugendus aliter, contigiſſet atrox (*l*). Ad tantum faſtigium praejudicia pervenire poſſe crederes? incredibilia fere ſunt, at fidem non derogat error. —— Utinam modo non alia ſcriptis mandata, ac poſteris conſecrata forent! Antimonium Lege Publica in Medicina vetitum; Leges à Magiſtratibus, ne operatio determinata, morâ plerumque inutilis reddita, niſi certis ſub conditionibus, in perniciem laborantis neceſſario tendentibus, inſtituatur cautas; ne & alia, quae hanc rem ulterius poſſent illuſtrare, memorem, qui ſerio cogitaverit; hominum mirabitur ſtultitiam, atque aegrorum, his adhibitis forte reſtituendorum, ſortis miſerebit acerbius.

Expoſita ſic praejudiciorum vi, foecunda illa errorum genitrice, ad reliqua, quae materiam hanc propius ſpectant, transeundum eſt.

§. VI.

(*l*) Haec latius adhucdum expoſita legere poterit L. in Apologet. Diſcept. Brissoti, invenienda in Tract. cit. R. Moreau & in Brissoti vitâ, ab eodem Moravio conſcripta, ex quibus haec praeſertim hauſi.

## §. VI.

### ANDREAE VESALII *ſingularis opinio, ejusque examen.*

Nec ſubſtitit hic diſſentiendi libido: dum enim haec agitabantur animoſius, circa annum 1539. novum, & nusquam auditum, dogma excogitavit ANDRAEAS VESALIUS, illudque per Epiſtolam cum NICOLAO FLORENATE communicavit (*m*): nimirum, omni in Pleuritide, quodcunque obtinuerit latus, axillarem venam dextri cubiti ſecandam eſſe. Cujus facti hacce in Epiſtola varias adſtruxit rationes, omnes (ut mox ſumus viſuri) non ita ſtabiles: quo factum etiam, ut poſtmodum his contraniten-tes acquiſiverit Auctores varios (*n*).

Credebat ſcilicet VESALIUS venam eam axillarem in omni pleuritide ſecandam eſſe, quia, cum nunquam tres utriusque lateris ſuperiores coſtae ob exilitatem venarum, quas recipiunt à vena cava, obque ipſius has coſtas ſuccingentis membranae fabricam minus raram, laxam & minorem, inflammatione corriperentur (*o*), omnisque praeterea inflammatio tantum in venis ſeptem inferioribus, coſtis ſuis uſibus datis, ſuam ex vena conjuge carente repetentibus originem, haerere poſſet: cumque inſuper his

(*m*) Haec Epiſtola VESALII in Operibus omnibus a BOERHAAVIO & ALBINO editis non invenitur. Tractatus hujus rariſſimi (quem tamen inter meos libros me nunc poſſidere gaudeo) titulus hic eſt, A. WESALII *Epiſtola, docens venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali ſecandam: & melancholicum ſuccum ex venae portae ramis ad ſedem pertinentibus purgari*, Baſil. 1539. in *4to* min. forma.

(*n*) Vid. MOREAU l. cit. pag. 34, 42. aliisque in locis.

(*o*) Epiſt. mox cit. pag. 54.

his inhaerente ſanguine phlogiſtico, ſi inhaeſerit dextris ad oculum per directum fieri pateat, ſtatueritque, dextrae ſi contineant ſanguinem phlogiſticum, prius deduci debere ad originem venae azygae ex vena cava, cum quâ conſentiunt fibrae venarum lateris dextri, cujusque evacuationis minor certe foret via; quid mirum aſſeruiſſe Eum etiam ſatis perſeveranter, *ſequi hiſce ex propoſitis, ſive ex brachio revellere & derivare ſimul viſum fuerit, ſive duntaxat in imbecillioribus viribus revellere, & deinde poſt aliquod temporis intervallum derivare ſtudueris, ſemper dividendam eſſe dextri cubiti axillarem* (*p*).

Etſi in hujus Cap. §. ultima omnium, ne nimium vager, omiſſa criſi, quo proprie in loco, an in adfecto, an in oppoſito, V. S. celebranda ſit, adjicere ſatagam, obiter tamen hic monuiſſe liceat, non majori VESALIUM adſeruiſſe ratione, *aut nunquam, aut rariſſime ſaltem, tres ſuperiores coſtas inflammatione infeſtari*, quam vulgus, qui pleuritidem abeſſe credunt, niſi *ſiniſtrum doluerit latus*, aut illos Medicos, quorum alii *ſiniſtrum ſaepius ex legibus Oeconomiae humanae*, alii *magis dextrum adfici* aſſerunt (*q*): pleuritidem enim oriri poſſe, & oriri revera quandoque, quocunque in loco pleurae, ex ejus fabricâ, functione & translatis obſerva-

(*p*) L. mox cit. praeprimis pag. 43. & ſeqq. aliisque in locis.

(*q*) V. SWIETENII Comm. Tom. II. pag. 9. OOSTERDYKII Inſt. Pract. Cap. de Pleuritide §. XIV. TRILLERI Diſſert de Pleuritide Cap. I. §. XXI. MORGAGNII Epiſt. Anat. Med. XX. Art. 65. & F. WENDT. Diſſert. de Pleuritide Gott. 1762. invenienda in Diſſert. Theſauro Cl. SANDIFORTII Tom. II. pag. 104. & in BALDINGERI Sylloge Opuſc. Med. Pract. Vol. IV. pag. 71.

vationibus medicis quam certiſſimum eſt. — Falſae igitur hypotheſi ſuperſtructum argumentum ſe ipſum deſtruit.

## §. VII.

*Proponitur* Wipacheri *Explicatio V. S. è directo, & num ea rem conficiat inquiritur.*

Paucos ante annos Problematis hactenus examinati novam explicationem exhibere tentavit Doct. Wipacherus, quam, ne quid praeteriiſſe videar, adducere etiam hic liceat: & illud quidem eo magis mihi praeſtandum videtur, cum Ejus hac de materie conſcriptus liber (*r*) titulum prae ſe ferat, qui rem illam penitus conficere quaſi indicet, & ipſe hic Auctor in Praefatione ſua (*ſ*) aſſeruerit, quod „ Problema praeſens à multis ja„ ctatum, nunquam tamen perfecte ſolutum, de„ monſtrationibus Anatomico-phyſiologicis pari„ ter atque pathologicis explicatum tradat."

Quo igitur nodum hic ſolvat, praemittit Anatomen & Phyſiologiam Pleurae, ac inter cetera ibi mentionem injicit (ut ſuo ſcopo convenit) de vaſis tam arterioſis quam venoſis pleuram adeuntibus, atque illa quidem, ut arterias omnes nunc naſci ex aörta inferiori, nunc nonnunquam earum nonnullas ex ſubclavia vel cervicali, & alias quandoque ex axillari, aſſerit. — Venarum porro deſcriptionem faciens, lateris dextri omnes nunc in venam ἄζυγον terminari, earum autem ſiniſtri lateris nonnunquam tres, quatuor ſuperiores in ſubclaviam,

(*r*) Vid. hujus libri titulum pag. diſſert. noſtrae 82. in Nota (*o*).

(*ſ*) Pag. VIII.

viam, reliquas in venam ſine conjuge ſuum effundere laticem, aliorum diſſectionibus comprobat. Earum nunc venarum quaſi truncus communis vena ἄζυγος interdum in ramulis anterioribus aörtae, interdum venae bifurcatae, ad renes incipit, & in venam cavam ſuperiorem terminatur: accedunt & hic anaſtomoſes venae thoracicae inferioris, pariter atque ſcapularis internae in ſuas axillares ſeſe exonerantes. In venam porro ἄζυγον venae bronchialis dextrae rami terminantur; ſiniſtra vero hujus nominis vena in ſubclaviam defertur. Anaſtomoſes praeterea arteriae ſubclaviae cum ejusdem nominis venae conjunctae in dextro latere in cavam ſuperiorem, in ſiniſtro in venam ſubclaviam ejus nominis ablegantur. Et haec excerpſiſſe ſufficiat. — Iis autem pro fundamento poſitis, pergit (*t*), ac conficit, omnes Arterias ergo, quae pleuram adeunt, oriri ex *axillari*, ex *aörta deſcendente* & ex *intercoſtalibus*, Venas autem terminari in *axillarem* & *ſubclaviam*, donec tandem in communem harum omnium venam, cavam ſcilicet ſuperiorem, terminantur. — Ex his omnibus nunc ita concludit (*u*):
„ Cum itaque hae venae omnes in ſuperiorem cavam ſuum tandem effundant ſanguinem, utique
„ pateſcit, & eam eſſe deplendam, ne ſanguis tam
„ copioſe ut ante, & violenter in cor, atque ex
„ illo in arterias praeſtructas ruat, proin & eo ipſo
„ ſanguis arterioſus minuatur ſimul, ne amplius in
„ oppilationem φλεγμονώδη tam violenter ſaevire
„ queat: ab altera parte, per venas ipſas materia
„ ſtagnans, cruore ſubſidente vel potius ſegnius
„ refluente educto, ſpatium acquirat & libertatem
„ locum mutandi, quod communiter nomine reſorp-
„ tio-

(*t*) Cap. III. pag. 63.
(*u*) Ibid. pag. 64.

„ tionis intelligitur, & *haec ſunt*, *quae noſtra deri-*
„ *vatoria venae ſectione fiunt atque accidunt.*"

Hactenus, niſi fallor, nihil adhucdum demonſtravit, quo delectum unius lateris prae altero praeferamus: omnes enim rami cum in venam cavam ſe exonerent, haecque bifurcetur poſtmodum in duo crura venarum ſubclaviarum, indifferens eſt, quodnam illius cruris aperiatur vas, cum nihil niſi evacuatoria V. S. inſtituitur. Et ſenſit ipſe hanc etiam difficultatem eamque indicavit (*v*), atque ut effugium quaereret, his addidit, thoracicam inferiorem & ſubſcapularem in axillarum venam dextram hiare, & hinc, ſi pleuritis in vaſis arterioſis haereat, quae cum iſtis vaſis anaſtomoſin faciunt, medianae ejusdem lateris inciſiōne exantlari harum venarum communem ſimul & proximum alveum. Haec dum de dextro latere adſeruerat, ad ſiniſtrum tranſit, dicitque (*x*), intercoſtales ejus lateris ſuperiores, mammaria interna ſiniſtra, vena bronchialis & mediaſtina antica ſiniſtra in ſubclaviam ſiniſtram, thoracica inferior & ſcapularis interna in axillarem, cum ſeſe effundant, par ratio erit, cur adfecti lateris ſiniſtri V. S. celebranda ſit. — Omnibus itaque ſic propoſitis, hanc materiam ad finem perducit, aſſeritque (*y*), „ ſi ergo venas,
„ & quidem ratione trunci communis, in quem
„ ſuum fundunt ſanguinem, intueamur propius...,
„ ingenue fateor *idem eſſe*, *idem effici*, venam ca-
„ vam ſuperiorem, has venas immediate recipien-
„ tem, ſive per dextram, ſive ſiniſtram depleas
„ ſubclaviam, adeoque & nihil obſtare, quo mi-
„ nus aeque in oppoſito ac adfecto inſtituatur ve-
„ nae

(*v*) Ibid. pag. 66.
(*x*) Ibid. pag. 68.
(*y*) Ibid. pag. 78.

„ nae ſectio latere. At (z) *contrarium* aſſerere
„ cogimur ob reliquas in pleura occurrentes venas,
„ venaeque cavae ſuperioris truncum non imme-
„ diate (ut priores) intrantes, ſed potius loco
„ venae medianae ejus lateris propiori, ſubclavia
„ nempe & axillari vena ſuum ſanguinem deponen-
„ tes: quarum in dextro numeravimus latere duas,
„ in ſiniſtro ſex: ſi ergo una earum, vel etiam
„ omnes (quod fieri poteſt) oppilationem φλεγ-
„ μονώδην ante plexus anaſtomoſium ſuarum cum
„ arteriis patiantur, neceſſario etiam requiritur,
„ ut ſuae propriae ſubclaviae & axillaris depletio-
„ ne exantlentur."

An nunc explicatio haec Ejus Tractatus Titulo convenit? Ita mihi non videtur. Tota enim haec explicatio, ſi quid probet, probat tantum, V. S. adfecti lateris celebrandam eſſe, quotiescunque inflammatio arterias illas obſederit, quae anaſtomoſin faciunt cum venis, quae in ſubclavia & axillari terminantur, adeoque illud tantum probat, quod in nonnullis caſibus particularibus explicari queat, cur venarum delectus alterutrius lateris praeferendus ſit. — At vero ſi reſumamus, venarum numerum (arteriae enim nihil hic ad noſtrum ſcopum faciunt) paucum eſſe, nec conſtantem, cum quandoque omnes venae in ἄζυγον terminentur, haec in venam cavam ſuperiorem, aut ad nullas, aut ad paucas venas, & proinde ad argumentandi genus haud ſatis ſtabile pro concluſione & explicatione generali reducimur, ita ut illa tanti mihi non videantur momenti argumenta, ut explicatio haec *vera & genuina ratio* delectus venarum adfecti lateris nominari queat. — Praeterea, ſi jam daremus, haec omnia non ita ratione deſtituta eſſe, ex-

(z) Ibid. pag. 80.

exinde, ut opinor, tantum colligendum erit, in iis ſolis caſibus, ubi inflammatio in his vaſis haeret, durante V. S. adfecti lateris venas illas, quae ſeſe in ſubclaviam atque axillarem exonerant, minorem offenſuram reſiſtentiam à columma ſanguinis, per venas brachiales in ſubclaviam adſcendentis. Jam vero utrum huic imminutae reſiſtentiae tantum quidem tribui queat, ut huic reſolutio in vaſis arterioſis adſcribatur, dubium facere videtur brachii V. S. in morbis Capitis irrita ſaepe, quam tamen non raro proficuam praeſtat venae jugularis inciſio; quae vena jugularis cum in ſubclaviam ſe exonerat, ſimilem offendere deberet reſiſtentiam imminutam ab ejusdem lateris brachialium venarum è directo inciſione. —— Haec omnia, quo materiam hanc miſſam faciamus, me inducunt, ut credam, non tanti valoris ejus argumenta eſſe, ut noſtram infirment aſſertionem, at ſtatuendum putem, ſubeſſe hic causſas haud ſatis explicitas, detegendas forte clarius, dum hic velum inſcitiae removerit Natura.

Etſi autem Ejus ſententiam amplecti nequeam, in eo tamen commendandum eſſe WIPACHERUM puto, quod in Partis prioris ſui Tractatus quatuor Capitibus doctrinam Veterum & Recentiorum de V. S. in Pleuritide generatim expoſuerit, ita ut omnino conſulendus ſit ab iis, qui noſtrum laborem luſtrare non dedignabuntur, quo ſic hiatum ſuppleant, quem huic Diſſertationi praeſcripti limites relinquere me cogunt.

Ad ſelectum V. S. in morbis Capitis dimidiam partem adfligentibus nunc transeo.

§. VIII.

## §. VIII.

*De Selectu V. S. in Apoplexia & laeſione cerebri, quam conſequitur Hemiplegia.*

Vidimus, varios ab omni tempore fuiſſe Medicos, qui venam in morbis hepatis, lienis, pulmonis utriusque caeterarumque partium N. C. modo ſecuiſſe in adfecto, modo in oppoſito aut diſſito loco: haec autem antequam miſſa faciamus, addere adhucdum convenit, quid ſenſerint Auctores de V. S. inſtituenda in adfectione apoplectica, aut laeſione cerebri, quam alterutrius lateris inſecuta fuit paralyſis.

Hujus quaeſtionis apud ARETAEUM CAPPADOCEM (*a*) facta mentio eſt, qui ſcribit reſolutas in apoplectico conſiderandas partes, conſiderandumque in ſiniſtrone, an in dextro latere reſolutio ſit: á ſalutaribus enim partibus (ut dicere mox eſt) ſanguinem, inquit, haurire oportet: hac enim ſanguis facile delabitur, hac etiam á laeſis partibus materia derivatur. — Huic ſententiae ſuffragatur Ill. VALSALVA, qui in Tractatu de Aure Humana (*b*), poſtquam aſſeruerat oppoſita in parte cerebri haerere ferme ſemper vitium praeſentis hemiplexiae, à cauſſis externis aut internis ſubnatae, dicit: „ Ea enim ſuppoſita; jam firmum aliquod „ fundamentum habemus determinandi . . . . . , „ utra jugularis, item de ſiniſtro dextroque bra- „ chio utrum ad V. S. eligendum ſit; nempe an „ illud, quod ex latere reſoluto eſt; an vero op- po-

(*a*) Lib. I. de Morbis Acutis Cap. IV. In Collectione STEPHANI hoc Caput deperditum ſcribitur.

(*b*) Cap. V. §. VIII.

„ poſitum." Et paucis interjectis ſic pergit:
„ Illud tamen obiter innuam: conſtare mihi, quod
„ in ſimilibus morbis inſtituta V. S. non ex latere
„ corporis magis reſoluto; ſed (quemadmodum
„ obſervationes meae indicant) ex oppoſito ſive
„ illo, quod omnino ſanum videbatur, illico fere
„ aegri aliquid levati ſunt."

Hanc ARETAEI ac VALSALVAE ſententiam ſuis obſervationibus, ſuâque & aliorum experientia, probavit MORGAGNIUS (*c*), ita ut referat in paralyſi ſiniſtri lateris, ubi in eodem inſtituebatur V. S., nihil profuiſſe, verum in oppoſito inſtituta, una cum ulcere candenti ferro inuſto & herbis cephalicis ſenſum rediiſſe paulatim, motum non item. —— Huic aliam à SALANO traditam VALSALVAE addidit, de muliere nimirum, quae utrinque ex Apoplexia reſoluta in uno tantum latere corripiebatur paralyſi; in dextro ſi à dextris, in ſiniſtro ſi à ſiniſtris miſiſſet ſanguinem Chirurgus.

Praeter adductas rationes, quas attulerunt ARETAEUS, VALSALVA ac MORGAGNIUS, nullas quidem inter legendum mihi in manus inciderunt: inſignem tamen Practicum WERLHOFIUM de ſectione venae jugularis in hemiplegiae latere oppoſito, in *Commercio Norico* (*d*), mentionem indicaſſe invenio; ubi meminit ſe vetulae, ſiniſtro latere toto penitus hemiplecticae, quae ante biennium Apoplexiâ correpta & V. S. in brachio, dein emetico & cantharidibus admotis, ſtatim tractata atque exſuſcitata erat, venam dextram jugularem incidiſſe, eo cum effectu, ut eadem veſpera crus moveretur, &

(*c*) Epiſt. Anat. XIII. Art. 23 & 24. & Epiſt. Anat. Med. III. Art. 17.

(*d*) Vid. Ann. 1734. Kal. Nov. & in Oper. Ejus omn. à WICHMANNO editis Parte III. p. 737.

& quantum quidem his in adfectibus exſpectare licet, reſtituta fuerit in integrum. —— Cur autem hic dextram potius ſelegerit jugularem quam ſiniſtram, nihil addit, niſi illud unicum, quod „ per „ vicinas partes, vaſis nervisque cum adfecta con„ junctas, evacuans eſſe videatur " (*e*).

Et prima fronte, ſi ad omnia, quae de V. S. in hemiplegia attulimus, attendamus, oppoſitas hic ſecari venas crederemus; at vero ſi reputemus, ab omni fere aevo fuiſſe obſervatum, & hominum hinc opinionem pro certâ in Medicina regulâ asſumſiſſe, *vitium haerere in dextro cerebri hemiſphaerio, ſi ſiniſtrum corporis latus paralyſi adficiatur, & vice converſâ;* perſpiciemus etiam facile, directam hic inſtitui V. S. non autem oppoſitam.

Hanc autem materiam cum in Sect. inſequenti pertractabimus, hic nihil addam ulterius: enucleata prius hac materia, quid hac de V. S. concludendum ſit, adparebit tunc clarius. Ad hunc itaque titulum dum haec releganda ſint, nunc etiam in recenſendis aliorum Auctorum dogmatibus ſubſiſto, & ad ultimam §. hujus Capitis transeo.

§. IX.

(*e*) Quid enim de hac V. S. ſentiat ſic explicat: „ Mihi „ haec venae jugularis ſectio in encephali adfectibus, par„ tim remedium nonnihil revellens, hoc eſt, adfluentem „ nimium ad certas partes ſanguinem ad aliud invitans; par„ tim remedium ex mente vera Veterum derivans, hoc „ eſt, ſanguinem circa caput vitioſe jam congeſtum & ſtaſi „ ſeu lentore circulationis impeditum, impetu maximo & „ affluxus celeritate inſigni jam ceſſante, diſſolvens, & „ per vicinas partes, vaſis nervisque cum adfecta conjun„ ctas, evacuans eſſe videtur, quae plerumque congeſtio„ nem aliquam ſimul patiuntur. " Ibidem.

## §. IX.

*Quid de V. S. è directo, an ex oppoſito, inſtituenda ſtatuendum videatur, exponitur.*

Illud, quod ad ſolvendam hanc Propoſitionem opus eſt, facile peragi poſſe forte quis crederet, cum nunc humorum detecto atque explicito circulo, aliisque N. C. actionibus melius cognitis, horum omnium explicatio futura ſit in promptu. — Ita prima ſane fronte videretur: at ſi quis accuratius parum hanc rem contempletur, inveniet, in nonnullis caſibus, cur pro V. S. directa potior ſit ſententia, explicari facile, in aliis non item; imo in aliis tantam reperiet difficultatem, ut ad experientiam ſolam, forteque effecta ex Hominis bipartitione, indeque nato quodam mirabili partium ejusdem Lateris conſenſu & conſpiratione, oriunda, refugere in hâc V. S. adminiſtrandae explicatione ſit coactus, illisque ſolis contentus eſſe debeat.

Scilicet, quotiescunque vitium, quod V. S. requirere videtur, in N. C. ita haeret, ut vel in ipſo loco adfecto, vel cor inter & vitium medio, vena poſſit pertundi, optime intelligitur, cur non tantum V. S. haec evacuet, & corpus totum quantitate determinatâ ſanguinis privet, verum etiam, cur directe ſua effecta praeſtare poſſit in ipſam partem adfectam; quomodocunque etiam illa hâc peragi concipiatur. Luculentiſſime ob oculos id ponunt dolores graves capitis, vertigines, phrenitides, apoplexiae, ſimilesque morbi ſpontaneâ, aut artificioſa, narium haemorrhagiâ, aut ſectione arteriarum temporalium, vel venarum jugularium ſoluti; demonſtrant hoc inſuper ſcarificationes, hirudinum applicationes, rubefacientia, epiſpaſtica,

ca, veſicatoria, toties vel evacuando humores directe, vel ſtimulante ſuâ vi, miraculi adinſtar, citiſſime inflammatis partibus levamen conciliantia, ut nullum hac de re ſupereſſe queat dubium (*f*). — At vero ſi malum ita haereat, ut directe ex adfecta parte ſanguis mitti nequeat, uti in pleuritide, hepatitide, aliisque, ac tantum evacuando ſanguinis totius maſſae partem aliquam prodeſſe V. S. concipi queat; non ita facile intelligitur, cur potius adfecti lateris vena, quam alia, quam oppoſita ſecanda ſit. — Nec illud verum tantum eſſe de morbis pleuriticis & hepaticis, verum & de morbis capitis, ex hepate forſan ſuam originem repetentibus, ut probarunt ante jam allatae obſervationes, ſic etiam comprobant, quae protulit olim P. FORESTUS. Hic Auctor enim (*g*) memorat de ſua Uxore, quod dolore capitis in parte dextera fuerit detenta, una cum tenſione ac dolore hypochondrii dextri, cui adfectioni, praeter alia adhibita remedia, brachii dextri baſilicam cum ſucceſſu tundendam praecepit. De alia muliere refert dolorem capitis ſiniſtrum, ſiniſtri hypochondrii concomitantem tenſionem, cui etiam cum ſucceſſu, praeter alia remedia, ſectionem venae ſalvatellae ſiniſtrae adhibuit.

Etſi autem ratio, cur directa, quam oppoſita, V. S. potior ſit, ex ſanguinis circulo, in nonnullis caſibus explicari nequeat, nequaquam tamen perinde eſt, quodnam vas aperiatur, cum toties contrarium comprobaverit experientia, ut hanc ſequi quaſi

(*f*) Conferri hic meretur ante jam cit. Tract. WIPACHERI pag. 24 & 25.

(*g*) Oper. omn. Tom. I. L. IX. De variis Capitis doloribus Obſ. XLVIII & XLIX. pag. 378 & 379.

quaſi teneamur: quotiescunque enim nobiscum reputamus, quotnam facta Hominis bipartitionem comprobent, quot criſes dimidii Hominis vaſorum conjugii, quod adſtruere anniſi fuimus, exhibeant ſpecimina; quoties denique V. S. directae ſucceſſus fortunatos, infelices oppoſitae docuerit experientia, veritatis illa nuntia; in hac ἐμπειρίᾳ acquiescendum contendere poſſe mihi videor, & non minore jure venae ſectiones κατ' ἴξιν in morbis memoratis praeferendas ſuadere, dataque occaſione inſtituere, quam in aliis fieri ſolet bene multis caſibus Medicinae Practicae, ut ope juſti ratiocinii convenientia adplicemus & propinemus remedia, quae experientiâ & uſu determinatis in morbis prodeſſe comperimus, licet genuinam facti cauſſam non perſpiciamus, & empirice ſolum, ex obſervationibus multiplicatis experimentisque certis, quae calcanda via ſit, doceamur.

Quamquam tamen haec omnia indicare videantur, affecti lateris venam prae oppoſita tundendam eſſe, ſubeſſe tamen poſſent rationes vel impedimenta, quae è directo V. S. vetarent: iis igitur in caſibus, ne quid omiſiſſe videatur Medicus, oppoſitam potius quam nullam venam ſecare oportet. Nam licet verum ſit, & illud veriſſimum eſſe ex effectis conſtare videatur, quoddam emolumentum privum praeſtare V. S. è directo, etſi legibus Oeconomiae Humanae illud rite adhucdum determinari nequeat; attamen & ab altera parte ſtatuendum eſt, aliquem ipſa humorum evacuatione in morbis inflammatoriis effectum produci proſperum, &, cum in omnibus ſcopo propoſito quandoque ſatisfacere non licet, ut ſaltem, quantum poſſumus, pro parte auxilium praeſtemus oportet & caveamus, ne haud ita felicis ſucceſſus metu conſequamur nullum. Similem,

lem, etſi noſtrae ſententiae addictiſſimus, opinionem fovit ante jam memoratus PIETRAEUS, qui hac de re conferri meretur (*b*).

Licet itaque ex hactenus cognito humorum circulo, & aliis N. C. functionibus & actionibus, haud perſpicuum ſit, cur memoratas leges hac in re ſequatur mira noſtrae machinae Natura, credibile tamen eſt, illas habere ſuum fundamentum in conſenſu & conſociatione partium, quae quoad Vaſorum inprimis Syſtema, dextrum intercedit ac ſiniſtrum corpus, cujus rationes reddere, &, quantumpote, fontes eruere ſupra allaboravimus. Quod ſi autem quis haec ratione haud ita deſtituta mecum cogitet, elucefcit, quam utile, quamque neceſſarium ſit, ut in morbis medendis ad hanc Hominis bipartitionem, Veteribus tam probe obſervatam, at Recentioribus neglectam nimis, attendamus accuratius, atque ita ex hac melius cognita, certiores in Praxin Medicam deducamus regulas, deductasque ad hominum inſtituamus ſalutem: „ Medicus enim (ut loquar cum doctiſſ. olim Medico Pariſino HECQUET (*c*)) „ ubi morbum „ curare adgreditur, gnarus eſſe propenſionis & „ conſenſus & communicationis, quae varia vaſis „ humores vehentibus competunt, & medicationes ſuas ad hanc normam moderari, debet, ita „ ut nihil moveat, niſi quae evacuare debet, & „ per eas vias, quae maxime conveniunt."

Haec

(*b*) Conf. ſupra p. 85. Vid. vitam BRISSOTI in Tract. ſaepius jam cit. R. MOREAU pag. 71., ut & PIETRAEI Epiſtolam ad D. GUERIN illi adnexam pag. 116 & 117.

(*c*) *Obſ. ſur la Saignée du Pied.* §. 17., qui locus latine verſus invenitur etiam apud Practicum illum inſignem WERLHOFIUM Oper. omn. Parte I. in nota (*f*) p. 114.

Haec illa ſunt, quae de materie, quam in hac Sectione tractandam ſumſi, exponenda habebam. Utinam modo certiora! malui in multis ignorantiam fateri, quam cum aliis manifeſte erronea agnoſcere & adducere pro exhibenda explicatione phaenomenorum, quae noſtrae tractationi anſam ſuppeditarunt: nec puduit me probabilem adferre Conjecturam, probe conſcium, ab Hypotheſibus quoque nonnunquam utilitatem redundaſſe in Artis Medicae doctrinam & praxin; tanto minus, quum facile peritis pateat, ipſum caſtiſſimum illum Philoſophum NEWTONUM ab Hypoteſibus admiſſis in Naturae contemplatione ad veritates ſtruendas inſignia commoda accepiſſe, neque ullo jure ſtatui poſſit, ab conjecturis adeo alienum fuiſſe ſummum BOERHAVIUM, ut quoque hic in ſua reformatae Medicinae doctrina Hypotheſes non adhibuerit: quorum itaque Virorum exemplo paulo forte audacior factus, his finem impono, dictisque gaudere jubeo B. L., donec in ſacris hiſce enodandis felicior aetas meliora docuerit, vel, quae minus certa nunc videantur propoſita, confirmaverit.

SECTIO

# SECTIO SECUNDA.

DE

## ADFECTIONIBUS ALTERUTRIUS LATERIS, A NERVOSO SYSTEMATE SUAM REPETENTIBUS ORIGINEM.

*Introductio.*

Medicinae fere coaeva obſervatio eſt, *Unum Cerebri ſi adficiatur latus, ſuos in uno tantum N. C. latere produci effectus.* —— Hos effectus ab aequa Nervorum diviſione in utrumque latus deducendum eſſe poſterior credidit aetas: ita ut Nervoſus ille Homo SYDENHAMIO (*a*) celebratus, qui intus noſtram machinam occupat, ſponte ſic in *Dextrum* & *Siniſtrum* dividi debeat, longeque frequentius, quam quoad Syſtema Vaſorum hactenus pateſcit, hujus Diviſionis phaenomena Medicis offerat. — Dum autem obſervationibus ac cadaverum ſcrutiniis poſtmodum compertum videatur, non raro, imo fere ſemper, ita inſequi hos effectus, ut, dextro laeſo hemiſphaerio, ſiniſtrum N. C. adficiatur latus, & vice converſâ, nata hinc fuit doctrina medica, *eſſe quidem duplex in ſua collectione, diſtributione ac agendi modo cerebri organon, verum ita ſimul illud eſſe comparatum, ut functiones alternent, ſic ut dex-*

(*a*) V. Diſſert. Ejus Epiſtolarem ad G. COLE, Oper. omn. pag. 395. Edit. L. B. in 8vo.

*dextri hemiſphaerii nervi ſiniſtri corporis functionibus inſerviant, ſiniſtri dextro corpori.*

Doctrina haec multis accepta, multis etiam rejecta, noſtrum requirit ſcrutinium, & ut in praecedenti Sectione, ſic & hic, quid hac de materie conſtet, Obſervationibus ſtabiliemus prius, viſuri poſtmodum, quasnam hi effectus agnoſcant cauſſas, & quo usque hac de re aliorum admittendae vel rejicendae ſint opiniones. Praeter hos effectus, quibus Nervoſum Syſtema ejusque fontem duplicia eſſe ut origine, ſic collectione, diſtributione & agendi modo probandum erit, curatius obſervanti & alia comparent phaenomena, quae hanc doctrinam ſtabiliunt, quorumque aut mentio jam fuit facta in Sectione prima, aut, prioribus praegreſſis, facienda poſtmodum, ita ut, omnibus prius diſcuſſis, in cauſſarum examine & confirmanda noſtra de *Homine duplici, dextro & ſiniſtro*, theoriâ ſuum inveniant locum ac ſuam conferant ſymbolam.

# CAPUT I.

## ADFECTIONUM NERVOSARUM DIMIDII HOMINIS OBSERVATIONES CONTINENS.

### §. I.

*Alterutrius Lateris Convulſio.*

Rationalis Medicinae Auctor Hippocrates variis in locis obſervationem de hac Poſteris tradidit.

dit. In Coacis Praenotionibus (*b*) dicit, „ Qui- „ bus tempora ſecantur, iis ex adverſa ſectionis „ parte convulſio contingit." — Hanc obſervatio- nem alio loco (*c*) confirmat, cum dicit, „ At „ in capitis ſectione ceterae quidem capitis partes „ tuto ſecari poſſunt, tempus vero, & quod ad- „ huc ſupra eſt, juxta venam, quae per tempora „ fertur, haec inquam regio ſecari non debet. „ Nervorum enim diſtenſione prehenditur, qui „ ſectus eſt. At ſi ſiniſtra tempora ſecta fuerint, „ dextra convulſio prehendit, ſin ad dextra ſectio „ fuerit, ſiniſtra convellitur. "

Haec Hippocratis dicta, quae aliorum (*d*) fa- cile poſſent confirmari & augeri, probant equidem factum tale obtinere poſſe & revera obtinuiſſe, non autem, quo proprie in loco cerebri habenda mali ſedes ſit, cum cadaveris defecerit ſcrutinium: qua propter etiam noſtrum non ita feriunt ſcopum. No-

(*b*) V. Num. 498., ubi & FOESIO alia parallela HIPP. citantur loca.

(*c*) L. de Cap. Vulner. Tit. 19. p. 907. Conferri quo- que poteſt locus in L. V. Epid. Tit. 21. p. 1149., ubi memoratur hiſtoria morbi Appelaei Lariſſaei, cui ante mor- tem „ corporis dextra facies reliquumque corpus convulſio- „ ne tentabantur, deinde ſiniſtra pervadebat." V. porro SWIETENIUS in Comm. Tom. I. p. 456, ubi alia HIPP. lo- ca proferuntur, nec non G. BALLONII Libellus, in quo explicatur *cur ſauciatis dextra capitis parte convulſio ſanae partis contingat*, in Oper. omn. à J. THEVART editis T. I. p. 312 & 313., ubi alia Hipp. loca adducuntur & critice perſtringuntur.

(*d*) Vid. W. SCHOUTEN in tract. *'t Gewond hooft* dicto p. 64. & TH. BARTHOLINI Hiſt. Anat. Cent. V. Hiſt. 2., ubi laeſionis acceptae in dextra capitis parte cum inſequen- te muſculorum faciei oppoſitae partis convulſione, & in dextris temporum laeſionis cum narium, oris ac brachiorum convulſione in ſiniſtra parte memorantur exempla.

Notare autem hic verbo liceat, peſſime hiſce diebus acturum Chirurgum, ſi, laeſione capitis obtinente interna, convulſionis oppoſitae metu tempora ſecare, quo trepanum adplicaret, negligeret: per hodiernas quippe obſervationes (& aliquas hac de re cum aegrorum ſanatione *Londini* me vidiſſe laetus recordor) conſtat, terrorem illum Veterum laeſionis temporalium muſculorum panicum fuiſſe, & horum ſectione, quo detegatur malum, tot fuiſſe ſanatos ſeriori tempore, quot hominum vetuſtiori hac incuriâ peſſumdatae vitae ſunt.

Propoſito noſtro inſerviunt melius, quas ſeculi ſui ornamentum, ſuique ſemper in omnibus ſimilis Morgagnius (*e*) & Poupartius (*f*) produxere obſervationes. Prior ita ſeſe habet: „ Juvenis magno ictu caeſim ad ſuperiorem ejusdem „ ſiniſtri muſculi temporalis partem ſauciatur. Cum „ aphonia convulſivi motus junguntur in ſiniſtra „ quidem parte aliquando ſolum & leves, in tota „ autem dextera aſſidui, ac adeo vehementes, ut „ corpus interdum in hoc latus curvari videatur.”... Ingraveſcente morbo circa diem interiit decimum tertium. . . . . Pergit porro ſic, „ Vulnus non „ modo temporalem muſculum inciderat, ſed per „ ſubjectum os alte in cerebri ſubſtantiam deſcen- „ derat. Dura meninx erat circa vulnus multo „ craſſior facta. Circa idem, intraque ſanioſus „ occurrit humor, ex cujus forſan mordaci natu- „ ra

(*e*) L. IV. de Morbis Chir. & Univerſ. Epiſt. Anat. Med. LI. art. 45.

(*f*) Mem. de l'Acad. R. des Sciences ann. 1700. obſ. 19. p. 44. & 45. Corrigendus hic error typographicus commiſſus in b. Halleri El. Ph. T. IV. p. 333., ubi citatur obſervatio Bouvartii, quae eſt eadem illa, quam hic relatam dedimus.

„ ra convulſiones fuerant excitatae: certe cum „ vulnus eo usque pervenire videretur, ut transverſum duntaxat digitum ab ſiniſtro ventriculo „ diſtaret, non illuc tamen usque ferrum pervaſiſſe, ſed profundiorem excavationem ab ſucco „ erodenti, in vulnere genito, factam eſſe cognoſcebatur. In cerebri ventriculis non nihil „ ſtagnabat ſeri." Poſterior haec continet: quod Juvenis, cum ex alto ceciderat, in ſutura ſagittali acceperit vulnus, cujus effectus inter alios erant, quod, ubi ſuppuratio, quae de tempore in tempus ceſſabat, impediebatur, per aliquod tempus pateretur convulſiones maxillae, brachiique dextri inſignes; ceſſantes ſuppuratione adaucta. Poſt mortem Cl. ille Auctor totum lobum ſiniſtrum cerebri abſceſſu conſumtum invenit, dextrum vero, ut & totum cerebellum, perfecte ſanum. Addit inſuper, Cl. Chirac Montiſpelienſem Medicum vidiſſe etiam hominem, qui convulſionibus ſiniſtrae partis fuerat agitatus, abſceſſum habuit in cerebri parte dextera.

## §. II.

### *Laeſo Cerebri hemiſphaerio oppoſitarum partium Hemiplegia.*

Si omnes, quas maſculum obſervandi ſtudium, quo inchoata atque adaucta eſt Medicina, collegit olim & nunc, proferre vellem, unde ducendum initium, & ubi ponendi forent limites, vix noſcerem: quapropter eas tantum exponam Obſervationes, de quarum fide quam maxime conſtat, & ubi ſimul Anatomia habuit locum, quo poſthac melius ſic in affectionum illarum veram cauſſam indolemque in-

inquirere poſſimus. Ut enim omnium, quae vides & non vides, myſteria intra ſua viſcera Natura ſagax plurima recondit, quae obſervando & introſpiciendo detegenda ſunt, ſic non minora pariter in noſtro Microcosmo condidit incognita, quae, ſi patefacienda unquam ſint mortalibus, ſanior certe patefaciet Anatomia.

Vetuſtas iterum hanc Obſervationem poſteris tradidit. HIPPOCRATES obſervationibus, quibus dogmata ſua ſemper ſuperſtruxit, edoctus rem ita ſeſe habere enunciat (*g*), ſcil. Capite vulneratos impotentes fieri, ſi in dextris fuerit vulnus, in ſiniſtra parte; ſi vero in ſiniſtris, in dextrâ.

Eandem veritatem agnovere GALENUS (*h*) & morborum genuinus Obſervator ARETAEUS CAPPADOX (*i*), atque illius adeo fuit convictus CASSIUS, ut inter ſua Problemata medica propoſuerit, „ Cur „ à dextra capitis regione ſauciata membrana, „ quam meningem vocant, ſiniſtra pars reſolutione „ incurrat, ſin à laeva id contingat parte, dex„ tram paralyſis maneat? " (*k*)

Hiſce obſervationibus majus robur addunt, quae poſtmodum Recentiorum demonſtrarunt cadaverum extiſpicia: atque inter Auctores illos ut anteſignanus primas tenet de Anatomia optime meritus, & magni MORGAGNII magnus Praeceptor, VALSALVA (*l*), qui de his ſequentia refert: „ Notitiam ... „ hanc mihi compertam per annorum complurium „ labores, & quam plurimis cadaverum ſectioni„ bus

(*g*) Epid. L. VII. Sect. I.

(*h*) De Locis adfectis L. III. C. X.

(*i*) De Sign. & Cauſ. Diut. Morb. L. I. C. VII. ,, Verum ſi caput primo in dextra patiatur, ſiniſtra; ſi in ,, laeva, dextra nervorum reſolutione laborant. "

(*k*) Vid. Ejus Probl. Medica Art. 41.

(*l*) V. Tract. de Aure humana C. V. in medio.

„ bus confirmatam eſſe, ſerio teſtabor; ut probe
„ noverunt nonnulli docti gravesque Viri, nominatim P. Molinellus & Hippolytus Franciscus Albertinus, qui nempe pro noſtra interiori amicitia talibus ſectionibus adfuere. Nec
„ vero ſolum hic loquor de illis hemiplexiis, quae
„ à capitis vulnere proveniunt, ſed in univerſum
„ aſſero, me nullam ferme vidiſſe in apoplecticis
„ adfectibus alterius medietatis corporis reſolutionem, cujus cauſſam, ſecto cadavere, in oppoſita cerebri parte non invenerim."

Hanc doctrinam confirmavit ac ſtabilivit Morgagnius (m), cum inquiat, „ Id (quod ſcilicet ejus Praeceptor Valsalva obſervaverat) „ mihi
„ etiam in iis, quas Bononiae & Venetiis habui,
„ ejusmodi cadaverum diſſectionibus ſemper conſtanterque perſpectum eſt."

Nec aliter hac de re judicium tulere F. Hildanus

(m) Adv. Anat. VI. animad. LXXXIV. Relegatur praeterea Ejus Epiſt. Anat. Med. III. Art. 2. Tom. 3. p. 14 & 15., ubi inquit: „ Duo reſtant in hac hiſtoria, quae
„ praecipue conſideremus. Alterum ad dogma ſpectat à
„ Valsalva confirmatum: in hac enim quoque muliere cum
„ reſolutio animadverſa eſſet à ſiniſtris, cerebri vitium inventum eſt à dextris, &c." Et ejusdem Epiſt. Art. 18.
„ Septuagenarius dextro latere reſoluto occidit ſexta die.
„ Cauſſa reperta eſt in atro ſanguine, qui ex turgente lateralis carotidis arteriae ſiniſtro ramo, eoque disrupto, late
„ effuſus, hemiſphaerium cerebri ſiniſtrum totum undique
„ ad ventriculorum usque penetralia vitiaverat." A laeſione ſiniſtrae partis ſyncipitis ictu excitato paralyſis dextrae partis, ubi Anatomia dextram partem cerebri oſtendit ſanam, videatur Epiſt. Anat. Med. LI. art. 11., nec non Epiſt. LXII. art. 13. & aliis ibi citatis Epiſtolis.

NUS (*n*), LANCISIUS (*o*), ANT. DE HAEN (*p*), quorum poſterior hiſtoriam tradit Sartoris, qui terrore, moerore gravique ira correptus cubitum ſanus petiit, mane autem proximo evigilans toto latere dextro ſe tumidum ac paralyticum deprehendit; idque haud in crure brachioque ſolis, verum etiam in gena & lingua, ita ut loquens non intelligeretur. Mortuo hoc aegro, ac cadaveris inſtituto examine, in ſiniſtro hemiſphaerio inventa ſunt ſequentia: „ Dura (*q*) mater à latere ſini„ ſtro ſinus falciformis cum cranio concreverat, „ ibidemque craſſa ac dura erat. In ſiniſtro cere„ bri hemiſphaerio, potiſſimum ad latus, varico„ ſiſſima eadem erat, in dextro autem parum tan„ tum. Eademque in plaga, quâ dura mater cum „ cranio cohaerebat, etiam arcte coibat cum arach„ noidea ac pia membranis. Sub arachnoidaea in „ poſterioris lobi cerebri parte priori & laeva, „ lympha multa ſplendens, hinc inde ſubrubella, „ adparuit. Eadem lympha coagulata, tremula, „ conſpiciebatur in lobi hujus poſteriore plaga, „ maxime inter medullae valvulas ſupra piam ma„ trem." Nonnullis hiſce interjectis ſic pergit (*r*), „ Ventriculus ſiniſter anterior ſive ſuperior dictus „ & ampliſſimus omnino erat, & tum copioſiſſima „ rubella aqua, tum grumoſo ſanguine plenus fuit, „ dexter vero ejus compar ſuam & amplitudinem „ & lympham naturalem habuit." Ex his omnibus

(*n*) Vid. Illius Obſerv. à SWIETENIO citatam Tom. I. Comment. p. 456. aut in HILDANI Oper. in Obſ. Chir. Cent. 2. obſ. 3., Exempl. I & III.

(*o*) L. I. de Subit. Mort. Cap. XI. §. 6, 7, 8.

(*p*) Rat. Med. Parte IV. p. 182.

(*q*) Ibid. p. 184.

(*r*) Ibid. p. 185.

bus concludit, „ In ſiniſtro cerebri hemiſphaerio „ quae narrata vitia ſunt, ad paralyſin dextri la„ teris explicandam ſufficiunt. " —— Catalogum denique adaugeat obſervationum par, quod à BONETO (s) & in *Actis Acad. Reg. Scient.* (t) memoratur. Prior de famula eſt, cujus ſiniſtrum latus motu privabatur ac ſenſu: in mortuae cerebri ventriculo dextro inventa fuit aqua turbida, illoque dilatato abſceſſus occurrit magnitudine ovi gallinacei, peculiari tunica craſſa veſtitus: in toto reliquo cerebro nullum vitium fuit obſervatum. Altera obſervatio eſt de paralyſi extremitatum ſiniſtri lateris foeminae, in cujus cadavere, duobus in locis, corticis cerebri ad anteriorem & poſteriorem partem parietalis dextri tumores comprimentes inventi ſunt.

Ipſe *Pariſiis* d. 9. Maji 1779. cum Amico meo expertiſſimo L'HERITIER, Noſocomii magni (*l'Hôtel-Dieu*) Chirurgo, ut vocant, interno, aperui caput hominis, abhinc quatuordecim diebus ob lapſum in mediam partem parietalis ſiniſtri in Noſocomium delati, & ex illius effectibus ibi mortui. Totum, quod Anamneſis morbi me docuit, eſt, quod caſu ex alto diviſa eſſent integumenta ac laboraverit aeger poſtmodum paralyſi dimidiata corporis dextri. Nulla adhibita fuere remedia apta, nec ſerrâ, ut loquitur HIPPOCRATES, fuit diviſum caput. Moritur aliquot diebus poſt. Sub vulnere integumentorum pericranium à cranio fuit ſolutum, & hic loci ipſum os parietale levi adfectum exfolia-tio-

(s) V. Pract. Ejus Anat. L. I. Sect. XV. obſ. 4. p. 360. Alio fine citatur haec obſerv. à Cl. AURIVILLIO in Ejus diſſert. de Paralyſi, invenienda in Sylloge Select. Opuſcul. Cl. BALDINGERI Vol. I. p. 202.

(t) Pro anno 1742, p. 37, 38 & 39. Relata etiam haec hiſtoria eſt à SWIETENIO l. l.

tione. Dura mater intra cranium loco laeſionis ſoluta puris quantitatem aliquam continebat, & duram inter piamque matrem totum hemiſphaerium ſiniſtrum pure tectum, & cerebrum eo loci, quo laeſio contigerat, ad ventriculum usque lateralem ſuppuratione conſumtum. Egregia ſane continet ſigna hic caſus pro adplicatione trepani, qua aeger hic ſervari potuiſſet; at cum hic exſpatiari non liceat, relego Legentem ad Diſſert. de Contrafiſſura & Regulis adplicandi trepani in Vulneribus Capitis, quam brevi publici juris facere in animo habeo.

Atque hic Obſervationum, quas, quo probanda probemus, ſufficientes ducimus, ſubſiſtit recenſio (*u*): etenim „ tam crebram (ſunt magni Morgagnii (*v*) verba, quae mea hic facere liceat) „ olim apud tot Medicinae & Chirurgiae ſcriptores „ mentionem invenio paralyſis, in adverſa vulneri „ parte corporis obſervatae, ut, ſi producere aut „ nominare omnes vellem, rem magis difficilem, „ quam neceſſariam ſuſciperem. " Id ſcilicet mihi incumbebat tantum, ut ex obſervationum vaſto catalogo, quem ſerior & vetuſtior collegit diligentia, eas modo ſeligerem, quae fideles omnium ore ac conſenſu habendae forent; de iis, quas non ita fidas habemus, parum aut omnino non ſollicitus. Si quis tamen ſit, qui hiſce non contentus uberiorem, quo exſpatietur campum, deſideret, nulla habita ratione praeſentium phaenomenorum, & ex inſpecto cadavere obſervationum, inter alios adire po-

(*u*) Addi adhuc poteſt Salicetum catholicon illud theorema protuliſſe, *Quotiescunque vulneratum alicui caput fuit ita ut inde paralyſis contingat; ſi vulnus dextrae capitis parti inflictum ſit, paralyſin factum iri in ſiniſtra corporis parte, & contra.* Vid. mox citandum locum Clar. Morgagnii.

(*v*) Epiſt. Anat. XIII. art. 14.

poterit Ill. HALLERUM (x), BONETUM (y), MORGAGNIUM (z), SIMSONUM (a), ACTA HARLEMENSIA (b), PLATNERUM (c), LUDWIGIUM (d), SWIETENIUM (e), KOLPINUM (f), CLOSSY (g), VERSCHUIR (h), aliosque innumeros; invenietque toties hanc veritatem obſervationibus confirmatam, ut in aliis Medicinae partibus non majorem hiatum inveniri poſſe, optandum foret.

## §. III.

*In uno eodemque corpore Convulſio unius, & Lateris alterius Paralyſis.*

Ita in hoc morborum genere Natura ſe gerere videtur, ut nunc adfecto hemiſphaerio altero convulſio è directo adfecti hemiſphaerii, alterius paralyſis obſerventur, nunc contra paralyſis eodem in latere laeſi cerebri, in oppoſito autem convulſivi prodeant motus. — Quod ut confirmetur, agmen hic ducat PHIL. SALMUTH (i), qui, poſt inflictum vulnus capitis de convulſione partis laeſae paralyſique

(x) Elem. Phyſ. Tom. IV. p. 331. & ſeqq.
(y) Variis in locis.
(z) Per totum operis ambitum.
(a) Diſſert. IV. à p. 158. ad p. 177.
(b) Tom. I. p. 387. & Tom. X. Parte 2. p. 459.
(c) Inſt. Chir. Edit Belg. C. de Vulner. Tom. I. p. 498.
(d) Adverſ. Med. Pract. Vol. II. p. 287. nº. 99.
(e) Tom. IV. Comment. p. 120.
(f) De Cap. laeſionibus, p. 55. & ſeqq.
(g) Obſerv. on ſome of the diſeaſes of the parts of the human body, &c. relatae in Cl. SANDIFORTII Bibl. Tom. II. p. 788. & ſeqq.
(h) In ante jam ſaepius cit. diſſert. §. X. p. 42.
(i) Obſerv. Med. Cent. I. obſ. XVII.

ſique partis oppoſitae, tanquam ſymptomatibus, ut dicit, conſuetis memorat, atque extincto aegro vulnus, cerebro inflictum, è directo partis convulſae deſcribit. — HALLERUS (*k*) alternum latus reſolvi, adfectum una convulſivis agitari motibus, HORSTII, TANARON & Cl. LORRY dictis comprobat. —— Nec alterni tantum lateris paralyſin, adfecti convulſionem, verum etiam alterni lateris convulſionem, adfecti paralyſin & idem ille Auctor & Clar. SWIETENIUS (*l*) ex BONETI Sepulchreto Anatomico memorant (*m*).

SWIETENIUS inſuper ex HILDANO obſervationum par adducit, alteram de muliere, cui contuſo bregmate dextro cum fractura & intropreſſione cranii ſiniſtrum latus fuit reſolutum, dextrum convulſum; alteram de juvene robuſto, qui ſiniſtro bregmate fracto oppoſitum latus habuit reſolutum, adfecti lateris ſpasmo correptum brachium.

Memoratis ſymptomatibus adfectus fuit juvenis, cujus meminit BONETUS (*n*): convulſivi nimirum erant motus in dextro latere, paralyſis perfecta in oppoſito. Mortuo hoc aegro vulnus in dextra capitis parte cutaneum tantum, ſiniſtri autem lateris cerebrum ipſum graviter adficiens repertum eſt.

Atque has in praeſentiarum, quibus addi facile poſ-

(*k*) Elem. Phyſ. l. ante citato.

(*l*) L. l. p. 457.

(*m*) BERENGARIUS CARPENSIS (Lib. de Fractura cranii p. m. 33.) poſtquam memoraverat AVICENNAM ſcripſiſſe, quod accidat laxitas in latere vulneris & ſpasmus in oppoſito in pene pluribus, aſſerit illud contingens modo eſſe, dum modo ſpasmus laeſam, modo oppoſitam occupat corporis partem, atque idem inſuper de paralyſi dicendum concludit.

(*n*) Anat. Pract. T. III. L. IV. Sect. III. Obſ. VII. §. II.

poſſent aliae, adduxiſſe ſufficiat obſervationes: de cauſſis enim horum phaenomenorum cum agendum ſit inferius, & alias ſuggerendi adhucdum dabitur occaſio; nec eſt quoque quod ad demonſtrandum, quae demonſtranda volumus, hic plures addantur: non etenim Obſervationum farragine concludendi datur norma firmior, verum ex fidis & veriſſimis, Anatome monſtrante viam, concluſio firma haberi poterit ac juſtiſſima.

## §. IV.

*Paralyſis Dimidii Corporis, & quidem illius, cui inhaeret Cauſſa.*

Ordiamur hic ab Obſervatione P. FORESTI (*o*), BONETO (*p*) & SWIETENIO (*q*) etiam recenſitâ, nimirum Pueri, cujus dextrum latus cum fuerit paralyticum, ejus cauſſa etiam in dextro cerebri & cerebelli hemiſphaerio, quod ſanioſum erat, putridum, corruptum & ſanguinolentum, fuit inventa, dum alba, incorrupta & ſana cerebri pars ſiniſtra fuerit obſervata. Huic ſeſe jungunt binae adhuc aliae, à ſollerti illo obſervatore BONETO conſervatae (*r*), quarum altera eſt de lateris dextri abolitione motus & ſenſus ex apoplexiae inſultu, cujus cauſſam medulloſi cruris dextri flacciditatem & atrophiam fuiſſe, procul omni dubio, detexit Anatome: altera eſt magni MALPHIGHII cadaveris Anatome (*s*), cui, etſi in Medicis tantum tanto

(*o*) Obſ. L. X. obſ. 11.
(*p*) L. cit. T. I. p. 164.
(*q*) L. cit.
(*r*) L. cit. Tom. I. p. 139 & 140.
(*s*) Ibid. p. 143.

tanto huic Viro debeamus, parcere tamen morborum cohors, parcere dira tamen noluit Apoplexia: hic enim ſexageſimo ſuae aetatis anno apoplexia & paralyſi totius lateris dextri fuit adflictus, ac exinde mortuus. — Inſignis Auctor & Defuncti amicus Baglivius (*t*), qui illius cadaver luſtravit, de eo refert ſequentia: „ Aperto
„ capite, in cavitate ventriculi dextri cerebri duas
„ libras circiter ſanguinis nigri & grumoſi extrava-
„ ſatas invenimus . . . . . In ſiniſtro ventriculo
„ reſidebat aqua ſubflava ad pondus ſesquiunciae,
„ eique intermixtae erant minimae arenulae exiguâ
„ quantitate, &c. "

His denique ſi addamus illas, quas Cl. Viri Smetius, Rumlerus, Cabrolius, Harderus, Bartholinus, Turneus, Bianchi, Morgagnius, Schlichtingius, Haenius, Sulzerus, Caldanus & Monrous obſervaſſe adnotantur ab Hallero (*u*), in obſervationibus proferendis & communicandis ſubſiſtere hic licebit.

## §. V.

### *An Medullae Spinalis laeſiones in oppoſiti Lateris parte ſuos etiam producant effectus?*

Huic Quaeſtioni negative eſſe reſpondendum, ſuo jam tempore Galenus, perſpicaciâ & attentione in ſcrutandis corporis animalis partibus Coaevos, ne dicam, Hodiernos ſaepe praecellens, ſtatuiſſe videtur: poſtquam enim paucis egerat de reſolutione & convulſione ſuam ex cerebri laeſionibus repetentibus originem, ac pronunciaverat, ſpinali, quam

(*t*) Vid. Opera omnia p. m. 682.
(*u*) Loco ſaepius jam citato.

quam vocant, medulla in integrum diſſecta infra caput omnes reddi corporis partis reſolutas, haec ſubjungit: „ Praeterea (v) in Anatome vidiſtis, „ ubi per transverſas ſpinalis medullae inciſiones „ ad medium usque ſecundum longitudinem ſeca- „ rent, non omnes ſuppoſitas corporis partes, ſed „ eas duntaxat, quae è regione ſectionis erant, „ reſolutas, dextras quidem dextra ſpinalis medul- „ lae parte diſſecta, ſiniſtras vero, ubi reliqua pars „ eſſet inciſa." —— Idem Auctor inſignis eandem veritatem, obſcuriori licet dictione, alio aſſerit loco (x): „ Spinalis, ait, medulla cum „ juxta longitudinem ſuperne deorſum verſus per „ medium recta lineâ diſſecatur, nullum ex inter- „ coſtalium nervis reſolvit, neque eos, qui in dex- „ tra, aut altera habentur; neque eos, qui in lum- „ bis aut cruribus exiſtunt: transverſa autem, cum „ dimidia duntaxat pars ipſa diverſa fuerit, ſive „ ſiniſtra, ſive dextra, omnes ordine juxta rectum „ inciſae partis tramitem nervi reſolvuntur." Ex quibus dictis ſic concludit: „ Cum itaque ſemivo- „ cale animal voles reddere, in hunc ſecabis mo- „ dum: ſin autem mutum ſubito, totam ſpinae „ medullam transverſam divides."

Partes Galeni in hac ſententiâ, experientia, ut videtur, duce, amplexus eſt Aretaeus Cappadox (y), qui contrarium quaeſtionis propoſitae ma-

(v) L. de Locis adfectis L. III. C. X.

(x) De Adminiſt. Anat. L. VIII. C. VI. Duplex, quem hic commiſit, error Hallerus (El. Ph. Tom. IV. p. 326.) corrigendus eſt, cum alterius demum lateris muſculos reſolvi, ſi dimidiam medullam ſpinalem ſecueris, Galenum (Adminiſt. Anat. L. VIII. C. V.) ſcripſiſſe, adnotaverit.

(y) Lib. I. de S. & C. diut. morb. C. VII.

manifeſtiſſime ſic enunciat: „ Igitur ſi infra caput „ aliquod principium adfectum ſit, qualis medullae „ dorſi membrana (z) eſt, quae nominis ejusdem „ ſunt & contigua, dextra in dextris, & in ſiniſtris laeva reſolvuntur. "

Hanc praecedentium Auctorum obſervationem ſuo ſcrutinio comprobavit etiam Ill. MORGAGNIUS (*a*), qui de cerebri, medullae trunci, medullaeque ſpinalis fibrarum decuſſatione ſequentia ſcribit: „ Caeteras omnes tum in eodem, tum in reliquis cadaveribus, inter ſiniſtrum quidem, dextrumque latus interſectas eſſe, conſtabat; decuſſari autem, „ nedum quae ab ſiniſtro eſſent, eas in dexterum, „ & quae ab dextero, eas in ſiniſtrum deſcendere, „ & ſic commutato latere, deorſum per *medullae* „ *truncum* pergere non apparebat. Nec vero certiora vidi in rima altera, quae huic in poſteriore *ſpinalis medullae* facie opponitur. "

Atque hanc rem paullo inferius (*b*) certiorem adhucdum reddidit: „ cum enim, inquit, plurimae „ ab utroque cerebri hemiſphaerio ad medullam, „ primo *oblongatam*, deinde ſpinalem, conſtruendam demittantur, harum autem paucae duntaxat „ decuſſentur; profecto relinquitur, ut multo plures in medullam recta producantur. "

HALLERUS itidem, alterni lateris abſoluta paralyſi nihil ſimile quid in *medulla ſpinali* locum habere asſerit (*c*); ac illud modo reſolvi latus corporis, in quo

(z) Non eſt, quod multis adſtruam, per hanc *membranae* laeſionem, ipſius medullae ſpinalis vulnera eſſe intelligenda; cum liquido conſtet, non *membranae* laeſione productum iri paralyſin.

(*a*) Epiſt. Anat. XIII. art. 20. p. 252.

(*b*) Ibidem, art. 21.

(*c*) L. cit. T. IV. p. 334.

quo vulnus medulla ſpinalis paſſa eſt, aut preſſionem. Quae dicta ut confirmet, RIOLANUM (*d*) adducit, G. DE SALICETO (*e*), & SOCIETATIS EDINENSIS COMMENTARIA (*f*), verum hac de re nihil, ut comparanti patebit, citatis locis inveniendum eſt.

Quaeſtioni propoſitae negative eſſe reſpondendum, palam facit Obſervatio, quam pro ſolita ſuâ erga me benevolentia Clar. & Praeceptor & Fautor meus VAN DOEVEREN, qui ob beneficia in me praeſtita pia mente ſemper proſequendus erit, mecum communicavit: ex qua magnâ evidentia concludi poſſe videtur, illud ſpinalis medullae latus fuiſſe laeſum, in quo locum habuerat hemiplegia, h. e., è directo laeſionis medullae ſpinalis ſubortam fuiſſe hemiplegiam. —— „ Paucis nimirum abhinc annis in Urbis hujus vicinia contigit infortunium, ut ictu ſclopeti, majores grandines plumbeas continentis, laederetur Nobilis quaedam Virgo in colli parte ſiniſtra poſteriori & inferiori, parum ſupra ſummum humerum, ita tamen, ut caput nequaquam inde fuerit laeſum. Haemorrhagia hinc oriebatur permagna, quae tamen apta deligatione ſatis cito compeſcebatur. Querebatur ſaucia de immobilitate colli ejusque ac faucium dolore & difficultate deglutitionis, totumque illius latus ſiniſtrum motu carebat & ſenſu. Hoc in ſtatu, mente ſua ſemper conſtans, duos cum transegiſſet dies, ſubito convulſionibus correpta, vitam cum morte commutavit. Scrutinio cadaveris poſtridie à memorato Praeceptore, alioque Medico & Chirurgo inſtituto, patuit clarius, nullam capiti illatam fuiſſe lae-

(*d*) P. 349.
(*e*) P. 330.
(*f*) Medical Eſſays of a Society of Edimb. T. V. p. 207.

laeſionem, at vero venam jugularem illius lateris plane fuiſſe deſtructam, inque hoc primario contuſionis loco omnes partes molles in indigeſtam & confuſam maſſam fuiſſe redactos, adparentibus in eo grandinibus nonnullis plumbeis. Contuſio ingens & laeſio ſpeciatim quoque facta hic erat nervis cervicalibus, à collo ad brachium tendentibus. —— Ipſo ictu non tantum fractura inter quintam & ſextam vertebram fuerat ſuborta, ſed & duae grandines, marginibus aſperis & acutis praeditae, viam ſibi fecerant usque in ſpecu vertebrarum, ac contuſionem induxerant vaginae durae matris, quae coloris erat gangraenoſi. —— Num vero (uti veriſimile quidem eſt) ipſam laeſerint medullam ſpinalem, diſtincte videri ac certo determinari non potuit, tum ob ſanguinolentum, gangraenoſum & corruptum omnium contuſarum partium habitum, tum ob difficile judicium, num defectus in ipſâ medullâ conſpicuus illato vulneri adſcribi quidem deberet, num forte potius moliminibus, quae ad partem hanc, adeo profunde ſitam, detegendam, erant adhibita." —— Hanc obſervationem ſi cum ante dictis, ac praeprimis Galeni experimentis, conferamus, nonne hinc concludere licet, laeſionem tantum fuiſſe unius lateris medullae, & illius quidem, quod è directo lateris fuit hemiplectici, alterum autem, quod oppoſitum, illaeſum fuiſſe? (*g*)

Hoc

(*g*) Adfert Obſervationem Riolanus (Anthropograph. L. V. C. L. p. 349.) qua aſſerit, vidiſſe Nicephorum Gregoram puerum, cui, cum ſagitta nervum Cervicis percuſſit, contigit, ut inde pes alter torpore corriperetur, & remaneret per reliquum tempus inſanabilis morbus: cum pes alter aetatis progreſſu creſceret, hic in ea tenuitate & brevitate, quae tunc fuerat, conſiſtebat, ſuſpenſus inutilis & otioſus tanquam pondus inanime.

Hoc ſi adſumatur (& hoc aſſumi hic poſſe non ita precarium mihi videtur) patet hinc, non illam decuſſationem in medulla ſpinali, verum rectum fibrarum ordinem obtinere ac diſpoſitionem, rectisque fibris decurrere medullam ſpinalem. Hanc ſtructuram revera obtinere, quoad ex ejus fabrica intricatiori cernere licet, illuſtrare videntur, quae hac de re adnotavit Ill. Hallerus, qui memoravit, quod lineam rubentem, quae medullam ſpinalem dividit, deſcripſerit Rudbeckius (*h*).

Addendum hic eſt, Cl. Jo. Jac. Huberum in Programmate de Medulla Spinali Gottingae 1739. & in Commentatione de Medulla Spinali, ſpeciatim de Nervis ab ea provenientibus, Ibidem 1741. editis, etiam loqui de Ligamento, quod formatur à pia matre medullam ſpinalem inveſtiente, quodque ſi non integre, in anteriore parte quodammodo medullam ſpinalem in duas partes dividat. A poſtica autem ejus parte (vid. Programma p. 15.). tale non per medium decurrere, neque medullam dividere, aſſerit, etſi in nota dicat Winslovium (Traité de la Tête §. 124.) illius meminiſſe, & Morgagnium (Adv. Anat. VI. Animad. XIV.) egiſſe de duplici fiſſura medullae, anteriore alia, altera è tergo occurrente, absque tamen ut addiderit, num utraque per impletam piam matrem facta ſit: verum (pag. 16.) ab antica parte filum, ab pia matre factum, diſtinguitur, ro-

(*h*) Vid. Biblioth. Ejus Anatom. Tom. I. pag. 448. Nec tamen loco citato, nec alio, illud notatum invenire potui, atque hinc illud forſan nullius momenti quis crederet. At ita ne quis opinetur: veriſimile enim eſt, Hallerum vel aliis Rudbeckii ſcriptis uſum, vel apud alium Auctorem illud legiſſe, ita ut fidem veritatis non deroget in citando ſaepius commiſſus error.

robuſtum, cum reliqua hujus parte concolor, ligamenti inſtar per medium excurrens & medullam in duas partes ſejungens (*i*).

Quod autem attinet Lineam eam RUDBECKII & memoratum Ligamentum; hiſce ſimile quid in Clar. VAN DOEVEREN Partium C. H. Theſauro nuper conſpexi: ſcilicet inter varia Ejus Praeparata anatomica, quibus uſum, functionesque partium ſuis in Lectionibus explicat, in liquore ſpirituoſo varias ſervat medullas ſpinales, quarum duae, materia ceracea repletae, foetus & junioris infantis ſunt: prior in ſua facie anteriore; ſecunda in ſuperficie poſteriore, ſub arteriâ illâ, quae ab initio medullae ſpinalis ad ejus caudam equinam ſerpit, eminentia quadam longitudinali ſubſtantiae externae diviſa conſpicitur, ex qua dextrorſum ac ſiniſtrorſum medullae ſpinalis fibrae quaſi transverſae tendere videntur. In tertiâ ex adulto, prope caudam equinam, linea media illa in utraque facie adhuc manifeſtius erat conſpicua.

Etſi ſic eminentia illa, & fibrarum medullae ſpinalis directio ex hac in dextram & ſiniſtram partem, haud obſcure poſſet conſpici; non tamen ideo certum habeo, hinc ſequi, revera talem me-

(*i*) In nota ad hunc textum varios adducit Auctores, ut MUNDINUM, ALEX. ACHILLINUM, ALEX. BENEDICTUM, NIC. MASSAM, SAL. ALBERTI & PAWIUM, qui hujus meminerunt, perque illud paralyſes unius lateris explicare tentaverunt. In Commentatione ſua §. IV. pag. 4 & 5. agit iterum de hoc Ligamento, illudque in Icone III. exhibet, verum illud non ſecare medullam eo audacius aſſerit, quo frequentius autopſia ea de re convictus fuit. Haec nunc quanti ponderis ſint, & quantum valeant prae aliis aliorum Auctorum obſervatis, concludant Legentes. Ne quid veritati detrahere velle videar, haec adduxi, licet tamen, hoc ligamento etiam non obtinente, non inde mihi videatur deduci poſſe, quod ideo alternet medullae ſpinalis ſubſtantia pulpoſa.

medullae bipartitionem obtinere: pulpoſa nimis ac tenera ejus compages eſt, quam ut examuſſim hanc queamus examinare. Verum haec ſi cum ante dictis comparemus, robur ſane iis additum iri, non levi, ni fallor, ſuſpicione conjiciendum credo.

Atque haec omnia ſi quis perpendat curatius, negative propoſitae Quaeſtioni reſpondendum, aſſentietur, ac Medullae laeſiones pro dimidia parte ſi fuerint, dimidiam etiam modo infeſtare corporis partem, illamque quidem, quae laeſioni huic contigua eſt, pronuntiabit.

Concluſioni huic obſunt quidem aliquae, quae huic vim inferre videntur, Obſervationes, quarum tamen pondus apud me tanti non valet, ut quid detrahere ante dictis poſſint. Ut autem porro me veritatem hic protuliſſe pateat, ſubnectam ea, quae mea de his continent Adverſaria, judicium, num quid valeant ad concludendum, aequo relicturus Judici. — Eo praeſertim redeunt, ſi quid probent, quod viderint nonnulli fibras transverſas, longitudinales utriusque lateris medullae ſpinalis conjungentes, inter quos referendi ſunt Petitus (*k*), Hallerus (*l*): atque aſſeruerit Cl. Lorry in Diſſert., cujus infra fiet mentio, quod, laeſa medulla oblongata in dimidia parte, producatur ejusdem lateris convulſio & oppoſiti paralyſis. — Nec omitti debent, quae hac de re reliquit Expert. Chirurgus noſtras Ulhornius (*m*), qui tantopere deſudavit in demonſtrandâ fibrarum medullarium ſpinalis medullae alterna poſiturâ, ut, quod alii aut non viderant, aut ſi quid vi-

(*k*) Cl. Louisii *Recueil d'Obſerv. d'Anat. & Chir.* p. 105 & 106.

(*l*) Prim. Lin. Phyſiol. §. 355.

(*m*) In Notis Belgicae Traductioni Inſt. Chir. Heisteri additis, Tom. I. p. 165. & Tom. II. p. 614.

viderint, prae ſubtilitate partium pro veritate & certis obſervatis aſſerere veriti ſint, hanc ſtructuram obtinere icone (*n*) illuſtraverit, addideritque, cerebri dextram partem ſiniſtram medullae ſpinalis conſtituere, ita ut, dextro cerebro laeſo, ea laeſio in ſiniſtram partem corporis, cui medullae ſpinalis nervi inſerviunt, transeat, & contra. — His addere denique lubet, etſi infidae ſuperſtructa hypotheſi ſit res ſeque ipſam proinde deſtructura, Prosperum Martianum (ut refert Ill. Morgagnius (*o*)) crediſſe, ex arteriolis exiguis & numeroſiſſimis, nervos cerebri & medullae ſpinalis ſuam trahere originem, illosque ſeſe decuſſare, non quidem omnes, verum eorum, qui ſuam è medulla ſpinali, non qui ex ipſo cerebro nanciſcuntur nativitatem, in cerebro alternare origines.

Atque haec ſufficiant: Tuum jam erit concludere Lector! num quid ad evertendam prius aſſumtam ſententiam haec valeant argumenta. Vos meas hic ſuſtinere jam mihi videor partes, ac ſtatuere pariter, *Medullae Spinalis Laeſiones è directo ſuas laeſionis indicare phaſes.* — Atque hic in illud Obſervationum genus recenſendo ſubſiſto.

Si jam adhuc particulares magis quarundam partium obſervationes, ut unius brachii, uniusve pedis paralyſin, convulſionem, frigus, calorem, horroresve adducere vellem, vix finem invenirem: cuivis in Medicina verſato tales cognitae ſunt: quapropter etiam tantum in §§. ſeqq. unam alteramve ſingularem magis unius Lateris adfectionem memorabo; interim tamen, qui ſupradictarum adfectionum obſervationes perlegere vellet, eas expoſitas in-

(*n*) Tab. VI. Fig. 2.
(*o*) Epiſt. Anat. XIII. art. 18.

invenire poterit apud HAENIUM, qui & unius Lateris Choream Sancti Viti, variis in hominibus obſervatam, memoravit (*p*) & MANGOLDIUM (*q*), aliosque Auctores medicos, quos nunc enumerare neceſſarium haud videtur (*).

§. VI.

(*p*) Rat. Med Part. I. Cap. VIII. n. 5, 6 & 8, Cf. ibid. Part. III. Cap. III. §. VII. & Cap. VI. Aegr. 24. Ed. Vindeb.

(*q*) Vide Ejus Opuſc. Phyſico-Med. poſtmodum cit. p. 290., ubi memoratur ſemitertiana, quae horrores producebat „ alternatim à ſiniſtro pede femoreque ad dextrum „ abdominis latus, & à ſiniſtro abdominis latere ad dextrum „ pedem femurque protentos." Iisdem in Opuſc. (p. 289.) memorat de foemina cholerica, quae ab ira incidebat in febrem tertianam & horrores: „ Singulare, inquit, hic erat, „ quod hi horrores, qui eam in altum ſubinde conjiciebant, „ à parte poſtica hepatis inciperent & alternatim à ſiniſtris „ verſus dextras partibus & vice verſa tenderent."

(*) Hoc loco, cum ob dolorem comitem certo ſenſu ad Nervoſos dimidii Hominis Morbos, referri poſſit, apponere liceat ſingularem Obſervationem, paucis abhinc diebus mecum communicatam à Doct. mihique Amiciſſimo F. DEJEAN, quam in ſe ipſo fuit expertus: ſcilicet d. 9. Novemb. 1775. cum *Londini* degeret, mane in carpo ſiniſtro dolorem ſenſit ſat magnum, quem, progenies licet podagrica eſſet, pro inſultu illius generis tum non habuit. Toto die frigori acerrimo cum ſeſe exponeret, inſaeviit dolor: cui medendo, eum partis illius dislocationem vel articuli extenſionem habens, oppoſuit linimentum ex ſapone & ſpir. juniperi calidiſſime adplicatum. Increvit poſtmodum dolor, & omnes articuli ejusdem lateris, de tarſo ad maxillam usque, ſtrepitum reſonuere: ſed maxillae ſtrepitus maxime erat incommodus ob viciniam organi auditus, & quod nec ſalivam deglutire, nec loqui poſſet, quin ſtrepitum perſentiſceret. Strepitus hi, ut & dolor, perdurarunt in ſextam ſeptimanam, ac poſtmodum evanuere pedetentim, relicto & in hunc usque diem perſiſtente ſtrepitu in cubito, ad minimum motum ſe manifeſtante. —— Reduci etiam hic Caſus poteſt ad Sect. I. Cap. I.

## §. VI.

### *Catoche & Rigor Dimidii Hominis.*

Hanc Nervorum adfectionem dimidiatam memoravit famigeratiſſimus ille DE LA METTRIE (*r*), indicans, ſe curam geſſiſſe Virginis 17 annorum, quae, adfectione primum hyſterica correpta (*s*), dein evaſit perfecte cataleptica (*t*), ac poſtmodum pro dimidia tantum corporis parte hac adflicta fuit adfectione nervoſa (*u*). —— Hujus obſervationis meminit etiam Ill. SWIETENIUS (*v*), aſſeritque eam relatam eſſe in Ejus Libro, cujus titulus eſt *Abregé de la Theorie Chymique*, &c. pag. 278.; hunc vero librum, cum nunc ad manus mihi non ſit, haud conferre potui. Interim tamen ex comparatione ſymp-

(*r*) *Traité du Vertige*, Pariſiis ed. 1738. in 8vo.

(*s*) Pag. 118.

(*t*) Pag. 119. & ſeqq.

(*u*) Pag. 123 & 124. „ *Après tous ces accès de Catalepſie Hyſterique, la malade eut pendant prés de deux mois un heureux intervalle que le lait de chevre, l'air de la campagne, & principalement l'exercice, lui procurerent. Mais elle fut à peine de retour en Ville, que la Catalepſie reparut, ſans être comme auparavant précedée de l'affection Hyſterique, mais avec d'autres ſingularités remarquables. Elle commençoit toûjours par tomber en foibleſſe, & quelquefois en ſyncope. Lorsque dans cet état on s'aviſoit de la picquer pour la faire revenir, ou de lui faire ſentir quelque odeur puante, elle devenoit Cataleptique, mais pour l'ordinaire de la moitié du corps ſeulement. On l'a vûë auſſi tomber d'elle-même dans cette demie Catalepſie, qui étoit plus ou moins parfaite.* "

(*v*) Comment. Tom. III. pag. 312. „ Imo in Virgine obſervatum fuit, quod quandoque dimidium corporis latus tantum corriperetur Catalepſi, quod adhuc longe infrequentius. "

ſymptomatum, quorum meminit SWIETENIUS, & deſcriptionis, quam idem Auctor dedit in citato Tractatu *de Vertigine*, nullum dubium eſt, quin eadem ſit morbi hiſtoria.

Ejusdem fere generis obſervatio eſt, quam prodidit de *Catalepſi particulari* doct. CH. WEBERUS (*x*); quae ſic ſeſe obtulit: „ Sexagenaria Virgo, mul„ tos per annos vertigine, clavo ſic dicto hyſteri„ co, viſus vitiis, maxillae inferioris ſpasmo, lin„ guaeque paralyſibus ſaepius laborans, ſana ſom„ mo utitur circa noctem, mane vero oculis aper„ tis, ſplendentibus, immotis, ſine loquela ſenſus„ que ſignis reperitur in lecto. Ego dextrum bra„ chium abdomini incurvatum, digitosque illius „ contractos, reliquas hujus lateris extremitates in„ feriores itidem incurvatas & paululum immobi„ les, ſiniſtros vero artus quocunque modo natura„ les & mobiles inveni. Prius latus omni caruit „ ſenſu. " — Remedia hic adhibita, ne *puncturae* quidem tum *dextri*, tum *ſiniſtri lateris*, aliquid praeſtiterunt, imo nec opem attulit V. S. in dextro brachio. —— „ Altero mane (ſic, nonnullis interjectis, pergit) „ dextrum latus etiam nunc in„ curvatum quidem, attamen multo fuit mobilius. „ Tertio mane . . . . per dextrum latus tremores „ agitationesque convulſivas trium quatuorve mi„ nutarum, à pede ſemper incipientes, quater vel „ quinquies obſervavi omni hora, quas in nocte „ quoque cum totius corporis vibratione thoracis„ que elevatione obſervaverant miniſtrae. Aegro„ ta ſemper quieta, immota, quadrageſies ad mi„ ni-

(*x*) Obſerv. Med. Faſciculus I. pag. 22. & ſeqq. ed. Cellis 1764. in 8*vo*. Iis ſi quis careat, conf. Cl. SANDIFORTII *Natuur en Geneesk. Bibl.* Tom. III. pag. 386. & ſeqq.

„ nimum convulſivas iſtas ſuſtinuerat agitationes,
„ quum circa veſperam in profundum ſoporem triginta ſex horas durantem incideret. Hoc tempore convulſivi ceſſarunt motus. Artus reperi naturali modo extenſos, pulſum debillimum, & extrema interdum frigida interdum calida, quo facto, quinto morbi die mane lento quodam modo animam exſpiravit. E naribus ſanguis poſt mortem minimo motu emanavit tenuis, inque affecto latere notata eſt ecchymoſis."

Praeter has duas à Demetrio & Webero relatas, quantum novi, nullae Medicis expoſitae proſtant obſervationes, quapropter eas habere oportet rariſſimas. At vero (ſi verum fateri liceat) an priori obſervationi habenda quidem fides, dubium eſt: in Medicina enim tam parum probatis Medicis huic Homini machinali tribuitur, ut mihi & aliis ſuborta fuerit ſuſpicio, utrum quidem genuina ſit ejus & probatae fidei Catoches deſcriptio. — Quod ad ſecundam obſervationem attinet: Virginis iſtius ſymptomata, ſi attentius luſtrem, dubius haereo, num haec ad Catalepſis effecta, an vero ad Rigorem ſpaſticum potius referenda ſint: ex comparatione quippe Catalepſeos Symptomatum, Auctoribus variis traditorum, patere poterit, memorata ſymptomata genuinam non indicare Catalepſin, ita ut rigor potius ſpaſticus, quam Catoche, haec habenda ſit adfectio (y).

Quae

(y) Rigores tales Dimidii Corporis meminit Pechlinus (L. cit. pag. 342.) qui dicit: „ Novi cui Hemiplegia correpto omnia membra, caput, oculi, lingua, jam etiam infra coles, dimidio ſui eoque exacto & ad libellam ſumto obriguerint, motuque & calore ex parte deſtituta operoſo demum ſpirituoſorum calidorumque uſu inſtaurari potuerint."

Quae licet ita ſint, non tamen proinde deſtruunt, at vero è contrario confirmant inſigniter, Syſtema Nervoſum pati etiam poſſe adfectiones morboſas unius Lateris, intacto ſuperſtite. Et hanc WEBERO memoratam adfectionem non tantum in Syſtemate Nervoſo habuiſſe locum, verum etiam in Textu Celluloſo, aliisque cognatis partibus, demonſtrare videtur adfecti lateris poſt mortem deprehenſa *ecchymoſis*, ita ut iis, quae Sect. I. Cap. I. Obſervationibus producendis, & Cap. II. in Cauſſas inquirendo aſſeruimus, haec addat robur haud infirmum: quod & de ſequenti inprimis verum eſt.

## §. VII.

*Hemiplegia unius Lateris, una cum Sudore nunc dextri Corporis nunc ſiniſtri, Febre dimidiati Corporis, Convulſionibus aliisque Symptomatibus.*

Singularem hunc unius Lateris Morbum in ſe ipſo expertus eſt Clar. CH. A. MANGOLDUS, ejusque hiſtoriam delineavit ipſe (z), quae ſequens eſt. „ 1. Ante complures annos incidi ob conti-
„ nuas diu noctuque agitatas profundas meditatio-
„ nes in Hemiplegiae cujusdam ſpeciem, quae Su-
„ dore unius lateris, ſiniſtri nempe, praeſertim
„ vero faciei (reliquum enim corporis dimidium
„ non, niſi cum vehementer ſudarem, in conſen-
„ ſum rapiebatur) ſeſe manifeſtabat."

Prae-

(z) In Ejus Opuſc. Phyſico-Med., quae collegit & edidit C. G. BALDINGER Altenburgi 1769. in *8vo*. pag. 293. & ſeqq. Diſſert. in qua haec memoratur obſervatio, exhibet Exper. quasdam Phyſiol.-Path. Decuſſationem Nervorum & Fluidi Nervei Naturam illuſtrantes, ed. primum Erfurti 1766.

Praeceſſerant (ut aſſerit n. 2.) huic adfectioni ante aliquot menſes ſcintillationes ante oculos moleſtae, adeo nonnunquam auctae, ut iis celerrima vibratione quaſi ignis excuteretur. Quae dum memoraverat, pergit: „ 3. Hemiplegiae vero dictae „ producendae plena cauſſa erat ſcintillatio, mane „ quodam ad 2. usque horas producta, ita ut om„ nia objecta inflammata eſſe viderentur, qua ces„ ſante tandem nebula per ½ horae ante oculos „ obverſabatur, relicta ſtatim uno in oculo magna „ aciei viſus debilitate, quae tamen imminuta fuit „ deinceps, non niſi ſub coelo pluvio redux.

„ 4. Sudor faciei particularis haec ſimul peculia„ ria habuit, quod ab aſſumtione acrium raphana„ ceorum, & acidorum vegetabilium piperatorum „ praeſertim in latus oppoſitum, dextrum nempe, „ conceſſerit, nec, niſi magnam eorum copiam co„ mederem, univerſalis factus fuerit.

„ 5. Nec reticendum in lateris ſiniſtri manu me „ poſthac, tempeſtate paululum modo frigida exi„ ſtente, frigus ſentiiſſe penetrans admodum in „ ipſa oſſium meditullia, & illam tum, quaſi con„ tuſa fuiſſet, lividam non nihil & gravem factam „ fuiſſe (*a*).

„ 6. In latere dextro vero ſaepe rheumatismos „ leves, & in pulmone hujus lateris punctiunculas, „ cum reſpiratione ibi paullo difficiliori quam antea „ ſenſi. "

His praegreſſis, Numeris aliquot inſeqq. enarrat Mangoldus, quod errore diaetae refrigerantis nimium

(*a*) Ad hanc coloris mutationem manus addere hic congruum duco, quod nuper legi apud Cl. Plenckium, in Ejus Libello, cui titulus *Doctrina de Morbis Cutaneis*, quique prodiit Viennae 1776. in 8vo, pag. 36, ubi ad *Genus Macularum* memorat, quod viſa ſit ſemel in uno ſubjecto facies viridis, latus corporis dextrum nigrum & ſiniſtrum flavum.

mium & caloris frigoriſque viciſſitudine poſtmodum inciderit in Febrem, quae dein typico ſuo admodum regulari recurſu monſtravit quartanae prolongatae vel potius quintanae genium. —— Huic convenientia adhibuit remedia & mitigati inde paroxyſmi: ſenſit vero tunc temporis urinae colorem fieri rubicundiorem, quin ad fuſcedinem accedentem ob viſcerum ſine dubio (ut inquit) internorum, pancreatis & meſenterii pulmonisque dextri labem aliquam. —— Adhibuit tunc remedia temperantia, donec urina colorem haberet naturalem. Conquievit tunc febris per 8 circiter dies, tuncque rerum non naturalium praeſertim frigoris commiſſo errore, omnia producuntur febris ante dicta ſymptomata. Antiphlogiſticis, diapnoicis & laxantibus hanc cum curare adniteretur, nec regimen tamen obſervare poſſet juſtum; Ipecacuanhae praegreſſa doſi, qua viridia, bilioſa & viſcida expellebantur, Cortice Peruviano fugavit febrim. Abigitur inde febris, at remanet ſenſus obnubilationis, cum in aëre liberiori obambularet, alternans cum ſenſu lucis ante oculos obverſantis, nec perfecte diſparent ſigna labis in viſceribus. —— Venae tunc temporis valde erant inflatae, ac cordis palpitatio & ad ſomnum proclivitas cum pulſu magno Eum plethoram docebant ſanguineam; V. S. hinc inſtituebatur Unc. XII.: inde vires adaugebantur atque alacritas, dolores miteſcebant & ſomnus magis reddebatur diſtans.

Omnium ſic ſymptomatum praeſentium enarrata hiſtoria, cujus epitomen tantum dedimus, ita pergit (*b*): „ 11. Praeſertim vero digni ſunt, qui re„ ferantur, 3 paroxyſmi, quorum unus fortiſſi„ mus, alter minus fortis, & tertius debilis fuit, „ &

(*b*) Ibid. pag. 300.

„ & qui in eo conveniunt, quod phaenomena ner-
„ vorum fabricam, & praeſertim Decuſſationem eo-
„ rum in cerebro, denuo manifeſtent, ſicque expe-
„ rimentorum in vivis captorum loco haberi poſ-
„ ſint (*c*). —— Ante primum ſcilicet refrigera-
„ ram corpus viſitans aegros, ſentiens frigus & laſ-
„ ſitudinem capiebam olei anim. DIPP. minus de-
„ purati gtt. viij. Imminutum inde nonnihil ſae-
„ vum frigus, quod ad convulſiones accedebat fe-
„ re; ſed ſuccedente aeſtu & pulſatione arteriarum
„ in capite, ſiniſtri praeſertim lateris, quae in aliis
„ quoque paroxysmis praecipuum conſtituebat ſymp-
„ toma, & quam ab obſtaculo in ſinu laterali durae
„ matris polypoſo, phaenomenis quibusdam ad id
„ perſuaſus, derivavi, cubans in dextro latere, ad-
„ eo vehementes pulſationes verſus dexterum ce-
„ rebri hemiſphaerium ſenſi, ut atteri & in to-
„ tum comprimi mihi videretur, ſymptomate n. I.
„ recurrente & gravitate totius lateris, atque par-
„ tis illius cerebri, ſenſuumque omnium eo latere
„ imminutione adeo paralyſin illius minitante, ut,
„ niſi ex tempore conſilium cepiſſem, & mecha-
„ nicum quidem illud, in hemiplegiam incidiſſem,
„ praeſertim cum pulſatio illa de minuto ſecundo
„ in minutum ſecundum augeretur inſtar elateris
„ liberi redditi vel tympani primo lente, dein ci-
„ tius, tandem citiſſime pulſi. Conſilium vero hoc
„ erat, me, quam lentiſſime fieri id poſſet (quod à
„ mi-

(*c*) Si MANGOLDO obloqui hic liceat, mihi quidem ad decuſſationem demonſtrandam ſingularis haec morbi hiſtoria nihil facere videtur, at vero quam maxime haec augere catalogum noſtrum Obſervationum ac Conjecturis noſtris de horum phaenomenorum Cauſſis adjicere robur, ut cuivis legenti patebit facile, & poſtmodum inſuper in hujus Sect. Cap. ult. demonſtrabitur ulterius.

„ minimo motu augeretur illa pulſatio, & occipitis interiora diſtendens dolor) verſus alterum latus movendi & in eo cubandi. Factum inde, ut motus ille arteriarum perniciſſimus non amplius tantum ſaeviret contra latus cerebri dextrum, & pedetentim quaſi rotando ſe in ſiniſtrum latus converteret, ſudorque, quocum, ut in aliis paroxysmis, quaſi unico ictu & è ſitula inverſa perſuſus fueram, deſineret in dextro latere & verſus ſiniſtram migraret ita, ut uno minuto deſereret partem temporum capillis proximam, tum altero minuto partem frontis, dein occuparet ſpatium frontis, naſi dimidium reſpiciens, cum hoc ipſo dimidio, dein transiret ad alterum dimidium, & ſic porro ad ſiniſtrum usque tempus. Tum vero itidem arteria carotis ſic pulſare accelerato motu, ut omnia divelli viderentur, & metus ejusdem, qui antea, cum dextram partem cerebri impeteret, aderat, cauſa ſane nulla ingruere. Igitur itidem lente me converti ſic, ut perpendiculare tenerem ad corpus caput. Sudor tunc ut ante, ſed inverſo ordine, ſiniſtram dereliquit partem & dextram verſus conceſſit, potuique moderare motitando, modo huc, modo illuc verſus impetum ſic, ut ſudor eſſet, ubi vellem, & motus acceleraretur quoad $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$ &c. vel imminueretur prout viſum eſſet. —— Notatu dignum etiam fuit, quod leves Convulſiones, quin tandem Stupor iſtius lateris, in quod impetus vergebat, accederent, & quod partes fere omnes in eo latere dolerent, reſpiratione ſimul ibi difficiliori reddita.

„ 12. Sudor, qui alias valde erat effuſus, inſigniter ſic moderabatur, & cum poſt alios paroxysmos valde eſſem laſſus, eo magis alacris & ve-

„ getus, quin optime valens redditus ſum, quo magis me tenerem in ſitu dicto perpendiculari, quo impetus nec verſus hoc, nec verſus illud latus, dirigi poſſet; cutis etiam, quae valde alias, ob cachecticum fere viſcerum ſtatum, erat flaccida, jam firmae erat conſiſtentiae, & facies floridi, non tamen rubicundi, vel aeſtuoſi coloris. Notandum etiam, durante graviſſimo impetu omnia ſerena fuiſſe in ſiniſtro latere, & ſenſus omnes ibidem auctos, cum dextrum latus inſtar trunci ligni rigidum, impos & grave eſſet.

„ 13. Eadem haec fere in altero forti paroxysmo, qui medius erat inter fortiſſimum & debilem, acciderunt. Sumſeram ob cibos pingues aſſumtos Semen foeniculi, quod maſticabam, Vini nonnihil, & Coffeae potum, atque ingruente paroxysmo motu paullo auctiori illum praevertere ſtudebam. Eadem igitur, ſed minor, cauſſa impetus aucti ut in illo forti. Non vero tum obſervavi, ob ipſum hunc impetum minorem, ſudoris ex uno latere in aliud converſionem, niſi valde leviter, & fere tantum à tempore dextro ad dimidium naſi illius lateris: ſudabat tamen latus ſiniſtrum totum, excepto capite, per ½ horae, cum caput inclinarem verſus latus dextrum per idem ſpatium temporis. Senſi vero diſtincte à motu majori verſus unum latus cerebri, e. g. verſus dextrum, in oppoſito latere ſiniſtro dolores capitis auctos fuiſſe, quin in regione veſicae ſiniſtra punctiones, ut in primo paroxysmo, obſervavi, deſinentes, cum in alterum me converterem latus, quod factum ſine dubio à diſtenſione nimia partium harum à polypo jam dilatatarum, quae quidem in principio paroxysmi non fuit tanta, quanta in fine. In fine tandem hoc

„ poſt

„ poſt 4 circiter horas (ab initio) eadem ſereni-
„ tas & bona valetudo, pulſusque quietus, ut in
„ forti illo paroxysmo, eadem firma cutis con-
„ ſiſtentia, urina paullo magis citrina ut in illo forti.
„ Aqua nitro impraegnata egelida moderabam im-
„ petum in mediocri hoc paroxysmo, prout vel-
„ lem. In debili paroxysmo obſervavi tantum mo-
„ tum auctum verſus alterutrum latus, non vero
„ ſymptomata dicta."

# CAPUT II.

## AUCTORUM VARIAS OPINIONES DE ALTERNORUM SYSTEMATIS NERVOSI MORBORUM CAUSSIS PROPONENS.

### §. I.

*Sententia* HIPPOCRATIS, *nec non* BALLONII, FOËSII, DURETI, HILDANI *Aliorumque explicatio.*

Partium, quae ante memorata in N. C. producunt effecta, naturam aut neſcientes prorſus, aut perverſe de illa diſputantes cum eſſent Medici, cumque inſuper vidiſſent, obſervationem nonnunquam haud ita conſtantem eſſe, multis etſi, imo pluribus in caſibus, firmam (*d*), non aliter potuit, quin hic diverſas ſuſtinuerint partes, alii has, illas alii.

(*d*) Confer inter ſe allatas Obſervationes hujus Sect. Cap. I.

alii. Et quantum quidem ad *Convulſionem* unius Lateris; de hac agens BALLONIUS (*e*) varias, quas protulere Auctores, collegit rationes, quibus ea fieri videtur, interque illas recenſet, 1°. ſpiritus & ſanguinis partis ſanae conſumtionem, ob inflammationem ſauciatae partis; vel 2°. convelli partem ſanam, reſoluta aegrâ, per tranſlationem humoris morbifici à parte laeſa in ſanam; vel 3°. illam cieri ob conſenſum, quae dextram inter & ſiniſtram partem eſt, vel 4°. denique (*f*) illam produci, quia natura ſanae partis conatur ſe liberare, quum periculum ſit ab eo quod transmittitur. —— Haě ſane rationes, pauliſper tantum ad ingenii trutinam ſi expendantur, & cum ſaniori pathologiâ, N. C. functionibus, ac earum agendi modo conferantur, nullius momenti declarabuntur facile: quod ipſe etiam cenſuiſſe videtur BALLONIUS, cum primam rationem, cur fieret convulſio, ipſe deſtruat, atque inquiat poſtmodum, „ in rei propoſitae cauſſis „ explicandis multi elaboraverunt: nec plane con„ ſtat, quae ſit vera ac germana iſtius convulſio„ nis partis oppoſitae cauſſa" (*g*).

FOESIUS locum (*h*) HIPPOCRATIS commentario brevi illuſtrans dicit, cauſſam hanc, ut ſubobſcura eſt, ita magnam habere in re medica quaeſtio-

(*e*) Lib. de Convulſ. Tom. I. Ed. THEVARTII pag. 325.

(*f*) Ibid. p. 328.

(*g*) Licet, ſententiam ſi dicere fas ſit, BALLONII Tractatus gravi huic Quaeſtioni non multum lucis adferat, cum criticâ potius ſcateat diſceptatione, quam ad gravem hanc rem enodandam apta contineat ratiocinia; liberandus tamen eſt BALLONIUS à labe, quam ei adſperſit BARTHOLINUS, qui rationes, quas ille ex aliis Auctoribus attulit, ut ipſius BALLONII dicta ventilat, illisque acquieſcere poſſe neminem aſſerit, vid. Hiſt. Anat. Cent. V. Epiſt. II. p. 4.

(*h*) Vid. Sect. hujus Cap. I. §. I.

ſtionem, eamque etiam minime explicatu facilem: aſſerit praeterea, illam indicaſſe ipſum Senem in *Prorhetico*, Eumque hujus convulſionis in Temporum praeciſione cauſſam exquirentem, tria poſuisſe, ex quibus nata videretur convulſio, ſcilicet τὴν περὶ τὸ κρόταφον οςέων διακοπὴν, τὸ μέθισμα, καὶ τὴν αἱμοῤῥαγίαν. — Praeter hanc Hippocratis explicationem eodem in loco Foesius aliam rationem ipſe proponit, nimirum, „ iſtud certe maxime referri „ poſſe videtur ad partium inter ſe cognationes, „ & germanas quasdam neceſſitudines, quas ἀδελ- „ φιξίας vocat Hipp. (*i*): & plurimae viſuntur in „ nervorum extenſionibus & muſculoſo genere, ad- „ eoque inter ſe conſentientes habent adfectiones, „ ut uno laeſo alterum compatiatur ac condoleſcat. „ Sic muſculis unius partis praeciſis aut reſolutis, „ alterius partis muſculi velut convulſi in ſeſe col- „ liguntur & contrahuntur. Eodemque modo, mu- „ ſculis ab altera maxillae parte reſolutis, ſanam „ partem breviorem fieri & contrahi, ad eamque „ laeſam ſequi velut muſculis ad ſua initia collectis, „ ſcribit Galenus (*k*). "

Lud. Duretus (*l*) mire doctus Hippocratis dogma explicat tali modo, ut mihi, nec aliis forte, placeat: poſtquam enim de convulſionis cauſſa egerat, dixeratque, ideo proprie oppoſitas partes convelli, quia congeneribus vel antagoniſtis muſculis ea inſit conditio, ut, ſi alterutrius lateris laxentur, è diverſo injuſſi ac nobis invitis colligantur, haec adhucdum addidit: „ ſed convulſionem à di- „ verſo partis praeciſae ideo ſcribit accidere, quo- „ niam eo perverſio eſt maxillae, à muſculorum

„ ipſam

(*i*) L. de Articulis.

(*k*) Comment. III. in Lib. de Articulis.

(*l*) Comment. in Hipp. Coac. Praen. p. 407.

„ ipſam moventium, injuſſa quidem nobis, non
„ tamen invita ſibi collectione convulſivicâ, omni
„ cauſa vacantium. Sed praeciſorum contractio
„ eſt cerebrum verſus, tum laeſione ipſa, tum ſo-
„ cietate & vicinia principatus aeque adflicti & in-
„ flammati. Eſt enim principatuum & ſubjectarum
„ partium, inprimis vicinarum & ſociarum, facil-
„ lima omnium ſympathia & ſyntimoria. Nam
„ mutuo ſe adficiunt, mutuasque tradunt operas
„ in aegri perniciem."

Fabricius Hildanus (*m*) eodem modo hanc rem explicuit: nimirum, ideo convulſionem partis accidere oppoſitae, credidit, quia muſculus partis ſanae, dum ſuo fungitur officio, maxillam ad ſe trahit, laeſus vero quia nunc ſubſiſtit, evenit, ut maxilla verſus ſanam partem, non ſine maximo dolore & vitae diſcrimine, trahatur.

Atque hae ſunt, quas Auctoribus recenſitas invenio, ſententiae (*n*), quibus explicari poſſe crederent Convulſiones unius lateris: etenim cum dicit J. Berengarius Carpensis (*o*) fieri illa phaenomena, „ quia pars propinquâ vulneri eſt magis
„ debilis ideo relaxatur, quia non poteſt contra-
„ hi," atque addit, „ item alia eſt cauſa, quia ad
„ partem laeſam currit major materia & ſubtilior,
„ quia primo movetur ad partem debilem, poſtea
„ ad fortem, & ſubtilior eſt mobilior, ideo ci-
„ tius ad partem laeſam currit, & ſic mollificat;
„ groſſa autem oppoſitam partem ſpasmat;" ut non multum bonae frugis haec continent, ſic etiam ſpasmum

(*m*) Cent. 2. Obſ. 8.

(*n*) Alias rationes haud ſane majoris ponderis vid. in notis ad Libr. IV. Sect. III. obſ. 3. §. 7. Anat. Practicae Th. Boneti.

(*o*) Lib. de Fract. Cranii p. m. 33.

mum potius ſpectant oppoſitae partis & paralyſin in eadem unius individui.

## §. II.

*Staminum Cerebri & originis Nervorum Decuſſatio,* Aretaeo *jam dicta, a* Cassio *prolata.*

Harum omnium, quas mox protulimus ſententiarum, cum viderint poſtmodum inſufficiens pondus Auctores varii, aliam ingreſſi ſunt viam, haecque omnia explicari poſſe crediderunt, ſi verum foret, originem partium illarum, quibus motus aeque ac ſenſus perficiuntur, locatam eſſe in parte oppoſita illi loco, ubi ſuos edunt effectus, ſive, quod eodem redit, motus ſenſusque principium, quod à ſiniſtris eſt, in C. N. ſedem ſuam occupare in partibus, quae à dextris ſunt, & contra. Hoc ut plenius quodammodo intelligatur, ſcire oportet, vetuſtam admodum eſſe adnotationem Hippocrati (*p*) jam memoratam, Cerebrum & Cerebellum, unde ſenſus oriuntur omnes atque motus, in origine ſua, collectione diſtributione & operatione videri duplicia, atque hinc explicandûm eſſe, quî una pars perſiſtere poſſit integra atque illaeſâ, dum altera, quoad ſpeciem ejus corpoream, impotens omnino ſit ad omnia. Haec itaque quum vidiſſent, abſolutam hanc quaeſtionem crediderunt, ſi Nervi à dextris oriundi ſiniſtrae impertirentur corporis parti, & contra.

Hoc

(*p*) L. de Morbo Sacro pag. 304. ubi dicit, „ Cerebrum homini, ut reliquis omnibus animantibus, duplex „ eſt, cujus medium tenuis membrana dividit. Ideo non „ ſemper eadem capitis pars dolet, ſed ſigillatim utraque, „ interdum vero totum. "

Hoc dogma Recentioribus multis etſi praecipue pertractatum fuerit, non tamen omnino Vetuſtioribus etiam fuit omiſſum & incognitum: quicunque enim mecum evolvet ARETAEUM CAPPADOCEM (*q*), CASSIUMque (*r*), illos ſtatuiſſe comperiet, quod apoplexiae vel vulneribus ſupervenientia ſymptomata à nervorum decuſſatione repetierint.

Dum autem à magnis hiſce Viris, dumque ab aliis, hanc doctrinam exhibitam inveniamus, quid de hiſce adnotaverint luſtrare nunc expediet: atque ad haec nunc transeo.

Ex cerebri, cerebelli, medullae oblongatae & ſpinalis ſubſtantiâ omnia, quae ſenſui ac motui inſerviunt, proveniunt organa, Nervorum titulo adornata: quadraginta illorum paria ſingula ſuo quovis ex hemiſphaerio & medullae ſpinalis lateribus, ut oculo patet, provenientia, ſua per foramina exitum è cranio vel ſpinali theca accipientia, ſuis ſingula dis-

(*q*) Vid. Locum p. 112. citatum, ubi illud manifeſto patet, cum ſic inquiat caſtiſſimus hic Naturae Obſervator: „ Hoc ideo evenit, quod nervorum initia permutata ſint: „ neque enim dextri nervi in dextras partes ſecundum re- „ ctum usque ad extremum progrediuntur: ſed ab initio „ enati, protinus ad oppoſitas transeunt, ſe invicem per- „ mutantes in figuram dictam χιασμὸν, id eſt, *quae re-* „ *praeſentat hanc literam X.*"

(*r*) Vid. ibid. Not. (*k*). Poſtquam enim hic Auctor problematice propoſuerat, ut vidimus ſupra, cur fiat reſolutio, in oppoſitâ laeſionis parte, hanc ſequenti modo explicat: „ Referenda eſt cauſa ad nervorum, originem ſuam „ è cerebri baſi trahentium, ſitum. Hi namque ſe invicem „ decuſſant. Siquidem à dextra baſis parte exorti in laevum capitis ſinum feruntur: qui à laeva, in adverſum: „ ita ut eorum ſitus decuſſatim concurrat. Nil mirum igitur, ſi vulnerata dextrae partis membrana, ſiniſtram re- „ ſolvi contingat: ſic vice verſa de altera dicendum."

diſtribuuntur partibus, ut motum aut ſenſum, aut utrumque iis impertiant. — Atque haec Anatomicorum detegit ſolertia, cum eorum inſtituunt examen. Haec itaque ſi ſic ſeſe haberent in interiori cerebri ſubſtantiâ, ſua phaenomena quivis nervus ſuo in latere, ſuos etiam produceret effectus, ſi laeſus, aliove modo ſua legitimâ functione ac tenore fuerit privatus. Verum Medici attenti oppoſito modo phaenomena accidere experti, originem nervorum ante ejus exitum decuſſatam jam eſſe, poſt Aretaei & Caſſii monita, crediderunt, interque illos praecipue numerandi ſunt Lancisius, Santorinus, Petitus, Winslovius, Molinellus, aliique (*s*), quorum cogitata, experimenta, demonſtrationesque anatomicae tanti hac in quaeſtione momenti ſunt, ut illorum ſententias expendere nunc paulo fuſius expediat maxime.

## §. III.

### *Decuſſationis Doctrina à* Lancisio, Santorino, Petito, Winslovio, Molinello, Swietenio *Aliisque confirmata.*

Lancisius (*t*) aurigae repente lapſi de ſella currus dextrorſum, ac mortui, hiſtoriam memorans, ſe hujus cadaveris Anatome comperiſſe ſcribit 1°. contuſum cranium in dextero tempore, cum rima

(*s*) Sic Petito memorantur Prosper Martianus, Caesalpinus, Hoffmannus. Vid. ſaepius cit. *Recueil des Obſerv. &c.* pag. 53.

(*t*) De Subitaneis Mortibus L. I. C. XI. §. 6, 7 & 8. pag. 12. Oper. var. Venetiis ed. 1739. in Folio. Et hac eàdem de materie idem ille Auctor conferri meretur in Obſ. 4. Phyſico-Med. p. 40. & ſeq., praeſertim vero p 44 & 45.

rima inſigni; 2°. intra cranium & pone duram matrem eo loci ſanguinem effuſum, & quaquâ verſum diffuſum; & 3°. dextrum hemisphaerium citra ſenſibilem defectum, in ſiniſtro vero vaſorum plenitudinem, diſtenſionem, nec non interioris cerebri ſubſtantiae coloris mutationem. — His enarratis pro aetiologia, cur potius hic auriga dextrorſum procubuerit, addidit, quod lapſus hicce acciderit ob moram cruoris in ſiniſtro cerebri hemisphaerio: quae poſita ut confirmet, ac ſuam de nervorum decuſſatione indicet ſententiam, ſic pergit: „ debilitatâ enim dextra corporis medietate, in quam „ communi, firmiorique Anatomicorum opinione „ diſtribui creduntur nervi, qui à ſiniſtro cortice „ proficiſcuntur, minimo negotio deficere eo in „ latere aequilibritas trunci, & verſus illud caſus „ totius corporis contingere poterit." — Decuſſationem ſtaminum nervoſorum, de quâ Anatomicorum auctoritate perſuaſus erat, Eum itidem alio loco (*u*) conjectura aſſequi velle patet quam evidentiſſime. Quod ut eo melius ſuccederet, praemittit primum, corpus calloſum conſtitui à fibris medullaribus, quae procedunt à duobus ſegmentis corticis ſuperioris & anterioris cerebri, quae ſtamina ſuis ſecretoriis ductibus praeparant ad conſtruendam corporis molem (*v*). Quod dum propoſuerat, concludit, hinc evidens eſſe, ut per transverſales calloſi corporis fibras cerebri ambo hemisphaeria conjungantur ſibi invicem ac fiant continua, & medio corpore calloſo radices medullae ſpinalis, quae a cerebro proficiſcuntur, uniantur, atque in perpetuo ſerventur commercio. De ſtruc-

(*u*) Diſſert. de Sede cogitantis animae Oper. Var. p. 105.
(*v*) Conf. cum his Epiſtola Petiti in ſaepius cit. Tract. Louisii *Recueil*, &c. p. 97.

ſtructura corporis calloſi ejusque fibrarum ordine porro agens ſuperaddit, ſectione corporis calloſi ad horiſontem parallela facta inveniri coagmentatum illud à nervis medullaribus transverſim, atque inter ſe ſimiliter parallelis adeo ſaepe in nonnullis cadaveribus perſpicuum, ut referre videantur ſtamina contexti ſerici craſſiora. —— Quibus propoſitis, ſuam conjecturam de fibrarum decuſſatione ſic enunciat: „ Et quamquam hujusmodi fibrae, „ quatenus ſunt inter ſe parallelae, & cum iisdem „ utrinque terminis continuae, videri poſſint om- „ nes, ac ſingulae ab uno principio in unum finem „ deſinere; veriſimilius tamen mihi eſt, alterno „ ductu, alterum à ſiniſtro hemisphaerio in dex- „ trum ventriculi fornicem, alterum à dextro he- „ misphaerio in ſiniſtrum fornicem protendi. Nam „ cum vaſa cerebri in ſuperficie, ſeu cortice, ſaepe „ ſaepius decuſſentur, non abludit à vero, in cal- „ loſo corpore hujusmodi alternum fibrarum tex- „ tum recurſumque inveniri; quo ſcilicet liberum „ commercium (intercedente corpore calloſo) in „ has medullares partes, in medullam ſpinalem de- „ ſituras, retineatur."

Santorinus ſic illam Decuſſationem probat: „ Nos autem ſic eam luculenter conſpeximus, ſic „ evidenter, ubi apta incidere licuit cadavera, de- „ monſtravimus, ut nulla amplius nobis hac de re „ ſuperſit dubitandi ratio. Id autem triplici po- „ tiſſimum in loco animadvertere potuimus, in „ utraque ſcilicet priore poſterioreque annularis „ protuberantiae crepidine, atque maxime in imo „ medullaris caudicis, quâ in ſpinalem abit. In „ priore itaque annularis protuberantiae parte, qua „ ſuperius reflexa pro comprehendendis oblonga- „ tae medullae cruribus in anguli formam interius „ producta terminatur, ſic ex concurrentibus fibris,

„ ſtrictiorique agmine coeuntibus altera alteram
„ ſcandit, ut praeter mirum implexum decuſſatio
„ luculentiſſime adpareat. Id ipſum ferme in
„ poſticâ ipſius crepidine occurrit. Eo iterum in
„ loco, qui quarto ventriculo ſubjicitur, praeter
„ varios fibrarum ordines & colores, in adverſum
„ latus productas & decuſſatas fibras commode
„ ſpectavimus. Si ea tamen evidenter uſpiam con-
„ ſpicitur, profecto quam evidentiſſime duas vix
„ lineas infra pyramidalia, atque adeo olivaria cor-
„ pora conſpici poteſt. Qua enim in longitudinem
„ producta lineâ, ſeu rimula, pyramidalia corpora
„ diſcernuntur, ſi leniter deducantur, probe prius
„ eo potiſſimum loco arctiſſime haerente, tenui
„ meninge nudata, non tenues decuſſari fibrillas,
„ ſed validos earundem faſciculos in adverſa con-
„ tendere, quam apertiſſime demonſtrabunt." (*x*).

Ordine jam ſequitur Petitus, cujus obſervata jam luſtremus oportet. Auctor (*y*) hicce quam plurimis obſervationibus ex laeſis hominibus de-ſumtis, atque experimentis in canum alterutro cerebri hemiſphaerio inſtitutis, didiciſſe ſe aſſerit (*z*), ſpiritus animales, dextro in cerebro ſecretos, motibus inſervire partium, quae à ſiniſtris ſunt, & vice converſa; ſaltem ſic ſeſe habere rem in Nervoſo Syſtemate extremitatum N. C. — Nec tantum hiſce contentus, aut ex iis ſolis cauſſam interpretari volens, ipſam ſubſtantiam cerebri luſtravit, atque ibidem manifeſtiſſime illam decuſſationem ſe inveniſſe declarat (*a*). Se-

(*x*) Obſ. Anat. Cap. III. de cerebro §. XII. ſive mox cit. *Recueil*, &c. p. 206.

(*y*) Vid. *Lettres d'un Medecin du Roy à un autre Medecin de ſes amis, à Namur* 1710. in 4*to*. Rarae hae Epiſtolae conſervatae ſunt à Celebri Louisio in ſaepius cit. *Recueil*, &c.

(*z*) Ibid. pag. 52, 78 & 108.

(*a*) Ibidem p. 92. & ſeqq. ubi haec habet verba:

„ *Il*

Sequitur nunc WINSLOVII ac MOLINELLI proponenda ſententia, quorum Prior (*b*) ſe in medullâ oblongatâ decuſſationem plurium fibrarum medullarium ex una ad alteram ejus partem transeuntium inveniſſe; Poſterior (*c*) experimentum in cane inſtituiſſe, qui, laeſo & ablato lobo cerebri ſiniſtro, dextra in parte paralytica affectione confirmavit opinionem de hemiſphaeriis cerebri motum & ſenſum in oppoſitis partibus producentibus, aſſerunt.

Propoſitae ſententiae addictum etiam invenimus Illuſtrem magni BOERHAAVII Commentatorem: SWIETENIUS nempe (*d*) illam Decuſſationem nervo-

„ *Il s'agit préſentement de ſçavoir de quelle maniere ce change-*
„ *ment ſe fait, c'eſt ce que je crois avoir trouvé.* —— *Toute*
„ *la ſubſtance corticale, qui ſe trouve dans les hémiſphères du*
„ *cerveau, fournit toute la partie médullaire, qui n'eſt qu'un*
„ *amas d'un nombre infini de tuyaux, dont les uns produiſent*
„ *le corps calleux, & les autres ſe raſſemblent pour former les*
„ *corps cannelés moyens. La partie inferieure des cuiſſes de la*
„ *moëlle allongée, qui paroit entre les nerfs optiques & le*
„ proceſſus *annulaire, eſt une continuité des corps cannelés*
„ *moyens. Les fibres medullaires, qui la compoſent, paſſent au*
„ *travers du* proceſſus *annulaire, ſeparées les unes des autres*
„ *par les fibres de ce* proceſſus, *pour former uniquement les*
„ *corps pyramidaux. Chaque corps pyramidal ſe diviſe à ſa*
„ *partie inferieure en deux groſſes manipules de fibres, le plus*
„ *ſouvent en trois, & quelquefois en quatre. Celles du côté*
„ *gauche paſſent au côté droit, en s'engageant les unes entre*
„ *les autres.*"

(*b*) *Traité de la Tête*, Tom. IV. p. 171. n. 110. Ed. in 8*vo*. vel *Recueil des Obſ.* &c. p. 212.

(*c*) De Bononienſi Scient. & Art. Inſt. atque Acad. Comment. Tom. I. p. 139. vel in l. *Recueil* p. 215., collata cum illis, quae habet MORGAGNIUS in Ep. Anat. XIII. art. 16. & art. 20.

(*d*) Comment. loco saepius citato Tom. I. pag. 456 & 459.

vorum agnovit, ac inde explicanda eſſe phaenomena illa apertiſſime declarat, dicit enim: „ Cum
„ ergo numeroſiſſimae obſervationes Celeberrimo-
„ rum Auctorum, & experimenta in vivis animali-
„ bus capta, decuſſatam illam cerebri ſentientis &
„ moventis actionem confirment; pauca tantum
„ habeantur exempla, quae repugnent huic ſen-
„ tentiae, illaque adhuc poſſint ſic explicari, ut
„ ſaltem minus repugnare videantur; patet, ſi non
„ omnino certam, ſaltem maxime vero ſimilem eſſe
„ hanc opinionem, qua ſtatuitur, quod ſi unum
„ latus paralyticum alterum convulſum fuerit, tunc
„ mali origo haereat intra cranium in illa parte,
„ quae lateri paralytico opponitur. Si vero con-
„ vulſio v. g. in dextro latere corporis adpareat
„ & nullum omnino vitium adſit in latere ſiniſtro,
„ tunc ob eandem cauſſam admodum videtur pro-
„ babile, ſiniſtram cerebri partem adfectam eſſe,
„ ſic ut aequabilis influxus ſpirituum in muſculos
„ dextri lateris turbetur quidem, non tamen impe-
„ diatur omnino (*e*). "

Atque haec ſufficere videntur, quibus Decuſſationem tot tamque gravis auctoritatis fideique pro-

(*e*) Conferri cum hiſce meretur PLATNER Inſt. Chir. Tom. I. pag. 498. Ed. Belg., ubi aſſeritur, decuſſationem in medulla oblongata obtinere, indeque explicari & inveniri poſſe paralyſeos & convulſionis cauſſam efficientem: ſcilicet illam haerere in hemiſphaerio cerebri paralyſi oppoſito, & ſi ſola adfuerit convulſio, illius cauſſam eſſe in loco cerebri convulſioni ipſi reſpondente. — Meretur etiam, ut omnino ad hunc locum conferantur notae à Doct. HOUTUYN l. c. adjectae, ubi in fine inquit ille Auctor, nos cautos eſſe oportere, ne hanc rem certiſſimam habeamus, cum non ſit niſi veriſimillima. Eadem haec decuſſationis doctrina memorata adhuc invenitur apud ANT. DE HAEN. in R. M. Parte IV. pag. 210 & 211. Ed. Vindeb.

probatae Viri adſtruere ſunt anniſi. Antequam autem hiſce colophonem imponam, neceſſe admodum duco in medium proferre, quae MORGAGNIUS protulit: ut enim ex Ejus lectione didicimus varia, quae ex aliis, quos citavimus hinc inde, Auctoribus collegit, ſic etiam ſua cogitata non parum momenti habent hac in re. Gravis ille Auctor, poſtquam varia de celebratiſſima hac quaeſtione nervorumque decuſſatione diſputaverat, dicit (*f*) aliorum conſtantibus & propriis experimentis ductus, „ Ego, quaecunque tandem ratio ſit, quam „ pro variis caſibus variam eſſe poſſe video, quemadmodum cenſeo, haud ſemper ab eâdem parte „ capitis, quâ ictus aut vulnus exceptum eſt, eam „ cerebri laeſionem eſſe, quae paralyſin efficiat, ita „ ſuſpicor, iis in caſibus, in quibus haec in eo „ corporis latere ſe oſtendit quod vulneri ſubjiciebatur, fortaſſe non in vulnere, ſed in laeſa cerebri oppoſita parte reſolutionis cauſſam fuiſſe „ quaerendam."

## §. IV.

*Singularis* SAUCEROTTII *de cujuvis hemisphaerii Cerebri alterna Decuſſatione Opinio.*

Decuſſationis doctrinae novum adhuc acceſſit dogma: non tantum ſcilicet decuſſari hemisphaeria cerebri dextrorſum & ſiniſtrorſum, verum & ab anteriori ad poſteriorem partem cerebri fibras alternare, ex quibus nervi proveniunt, qui motui & ſenſui extremitatum ſuperiorum inſerviunt atque inferiorum; ita quidem, ut ex cerebri v. g. dextri parte poſteriori proveniant nervi, qui brachio in-

(*f*) Epiſt. Anat. XII. art. 16. ab initio.

inſerviunt ſiniſtro; ex parte autem ejusdem lateris anteriori, qui è directo brachii extremitati inferiori ſuos impertiunt motum ſenſumque.

Hujus dogmatis Auctor eſt Chirurgus Gallus Saucerotte, qui in pulcerrima Diſſertatione de *Contrafiſſura*, Anno 1768. ab Acad. Reg. Chir. Pariſina Praemio condecorata (*g*), exitum experimentorum variorum, quae laeſionem cerebri, ejusque partem aliquam praeciſam indicant, commemoravit. Inter illa nonnulla ſunt, quae huic concluſioni dederunt anſam: ſic in experimento 1°. (*h*) in cane trepano aperuerat partem dextram oſſis parietalis prope ſuturam coronalem, perque illud foramen ita laeſerat cerebrum, ut pedes ſiniſtrae inde debilitarentur, & laeſione profundiori facta omnino evaderent paralyticae. Poſt mortem invenit, laeſum fuiſſe cerebrum usque fere ad fornicem ventriculi dextri. — Ex hoc experimento corollarium ſequens (*i*) deduxit: „ *On peut conclure de cette obſervation, que les nerfs des extrémités tirent leur origine des hémisphères du cerveau, de maniere que ceux des parties droites prennent naiſſance dans l'hémisphère gauche, & reciproquement.* " — In experimento II°. (*k*) laeſerat cerebrum dextrum, & effectus in ſiniſtro loco iidem erant, ac in Exper. I°. — Eadem haec ſimiliter confirmantur in Exper. III°. — Hiſce praemiſſis experimentis dein luſtrare voluit, quinam inſequerentur effectus, ſi cerebri hemisphaeriorum partes anteriores poſterioresque laederentur.

(*g*) Vid. *Mem. ſur les ſujets propoſés pour le prix de l'Acad. R. de Chir.* Tom. IV. Parte I. p. 369. & ſeqq.
(*h*) Ibid. pag. 394.
(*i*) Ibid. pag. 395.
(*k*) Ibid. pag. eadem.

tur. Quod ut pateret in Exper. VI°. laeſerat in parte dextra & ſiniſtra cerebrum undique per foramen trepano factum, & ita quidem, ut illae laeſiones (quemadmodum diſſectione patebat) parumper tantum à fornice magnorum ventriculorum cerebri diſtarent. Effectus illius laeſionis erant, quod poſteriores canis pedes evaderent paralyticae; quod dum vidiſſet, ex hoc experimento concludit (*l*), quae antea innuimus, dicit ſcilicet: „ *on vient de voir, qu'outre le croiſement des fibres medullaires d'un côté de la tête à l'autre, & qui a été découvert en partie par de célèbres Anatomiſtes, il y en a encore un de la partie anterieure à la poſterieure, & vice verſa, pour le mouvement des extrémités; de façon que l'origine des nerfs, deſtinés au mouvement des extrémités ſuperieures, eſt dans la partie poſtérieure du cerveau, & reciproquement dans l'anterieure pour les extrémités inférieures.*" —— Succeſſus Exper. VII, VIII & IX. (*m*) idem iterum fuit ac ſuperiorum, haecque confirmarunt, quae mox aſſeruimus, quod laeſo ſcilicet anteriore vel poſteriore cerebri parte, nunc inferiores, nunc ſuperiores artus devenerint paralytici. —— Illud adhuc his ſuperaddendum eſt, quod in inſequentibus Experimentis loco inciſionum adhibuerit presſionem (*n*), illâque effectum obtinuerit eundem, fortiorem autem, debilioremve, prout haec immediata fuerit, vel mediata.

Facta haec etſi veriſſime prolata ſint, in ſequentibus tamen inquirendum erit, utrum phaenomena à decuſſatione dependeant, nec ne. —— Caeterum An-

(*l*) Ibid. p. 399.
(*m*) Ibid. p. 400.
(*n*) Exper. X. & ſeqq. p. 400. & ſeqq.

Auctoris illius Diſſertatio egregiam continet doctrinam de laeſionibus Vulnerum Capitis, eorumque regulas diagnoſticas, prognoſticas, & curandi methodum pertractavit egregie. De his autem agam fuſius in Tractatu *de Contrafiſſura*, quem huic Diſſertationi adjungere animus mihi quidem fuit, at propter voluminis rationem ſeorſim edere malui.

## §. V.

*Decuſſationis Doctrina non omnibus admittitur Auctoribus.*

Viſis itaque, quae his explicandis in medium propoſuerunt, miſſisque anterioribus cauſſis, quas attulimus ex variis Auctoribus, utpote mere hypotheticis, nonne ergo Nervoſi Syſtematis primordiorum decuſſatio argumentum concludendi inſigne diceres? Nonne tot fidelium tamque gravium Virorum obſervationibus munitum dogma omnibus in difficili hoc phaenomeno difficultatibus enodandis ſufficiens divinares, quid dico, nonne ſtatueres? Ut enim ſcientia non ex Antiquitatis (ut cum ſagaci Bacone (o) loquar) obſcuritate, ſed omnino ex Naturae lumine petenda, nec refert, quid factum fuerit, ſed illud modo videndum, quid fieri poſſit; ſic etiam certe rem hanc, quae & Obſervationibus, & Naturae ejus legibus, & C. N. functionibus apprime convenire videtur, nonne hic abſolutam crederemus? — Rationes interim iſtae, utut ſpecioſae, utut apprime convenientes videantur, valorem ſuum infractum admodum monſtrabunt, & diſparebunt non parum, ſi experientiâ duce, rationis adjutâ caſto miniſterio, Naturae con-

(o) Impet. Philoſoph.

conſulatur vox. Fatendum quippe (& quidni fatendum hoc?) multa in iis, quae protulimus de Nervorum Decuſſatione ipſa, imo plurima, ſi cum ante memoratis obſervationibus comparentur, hic clara minus & haud perſpicua eſſe, facilia forte praecipiti & incauto, penſiculate vero excutienti (niſi me fallat ratio) difficillima, quin & ſolutu ἀδύνατα. —— Quapropter, quamquam longe abſit, ut quid ante memoratorum Auctorum fidei his detrectare velim, & eos, quae non vidiſſent, protuliſſe autumem; congruum certe eſt, ut etiam nunc producam Auctorum illorum ſententias, quibus Decuſſationem illam haud obtinere, nec obtinere poſſe, demonſtrarunt: quo facto, expeditior nobis erit via concludendi, quaenam harum ſententiarum ſuſtinendae partes ſint, dum ſic demum adjici poterit convenientius, quaenam, quae impediunt, quo minus aſſumere poſſim nervearum fibrarum alternam poſituram, argumenta ſuppeditet his phaenomenis intenta diu mens ſeverior.

## §. VI.

*Adverſariorum Decuſſationis* Hollerii, Laurentii, Morgagnii, Haenii, Halleri, Monroi, Marherii, Metzgeri *Aliorumque Argumenta.*

Adnotationum mearum ſumma eo redit, ut inter hos Auctores, qui ipſam ſtaminum medullarium decuſſationem experimentis, aut rationibus ex obſervationibus petitis, negarunt, inveniam Hollerium, Andraeam Laurentium, Morgagnium, Haenium, Hallerum, Monroum, Mar-

Marherium, Metzgerum, alios (*p*), quorum cogitata & rationes, eâdem qua uſi ſimus methodo in praecedentibus, expendere nunc paulo diſtinctius, quo ſuum cuique tribuamus, oportet.

Quantum igitur ad J. Hollerium; hic Hippocratis Commentator ad Aph. I. Coac. Praeſ. Sect. III. *Quibus tempora ſecantur, convulſio ex contrariis ſectioni partibus oboritur*, decuſſationem ſequentibus (*q*), obſcura licet dictione, ſic refellit: „ Mirum videri poſſit, cum natura cerebrum duplex, dextrum ac ſiniſtrum, membrana quoque ſe inſerente in medium diſtinxerit: nervi quoque, non, ut quidam volunt, ita complexi, ut è ſiniſtris partibus in dextras, & contra decuſſatim excurrant: ſed è dextris in dextra, è ſiniſtris in ſiniſtra abducantur, & os temporale cum adverſo nihil habeat tam commune, ut eo vulnerato altera parte aegrum convelli oporteat: ſic tamen docet experientia, nec in temporibus ſolum, ſed capitis reliqui vulneribus, ut altera parte, quam quae laeſa ſit, convulſio aut reſolutio accidat. Atque in convulſione fieri poteſt, ut pars laeſa ſanam contrahat, & ita alterius partis convulſio ſequatur. Sed in reſolutione non ita manifeſta cauſa eſt, cum oporteat potius, contra quam docet experientia, dextra reſolvi dextris vulneratis."

Andraeas Laurentius in Hiſt. ſua Anat. C. H. (*r*) duplicem pertractat quaeſtionem medicam, de *convulſione partis oppoſitae*, & *de paralyſi oppo-* *ſiti*

(*p*) Conf. hic Morgagnius in Ep. ſua Anat. XIII. art. 22.

(*q*) Pag. 959. Edit. Lugdunenſis in Folio ann. 1576.

(*r*) Edit. Francofurt. Anno 1620. in 8vo. pag. 887. & aliquot ſeqq.

*ſui lateris & convulſione illius, quod è directo eſt, in eodem individuo ſimul obtinentibus.* Prioris Quaeſtionis poſtquam injecerat mentionem atque agnoverat obſervationem, nullius decuſſationis doctrinae meminit, at illud phaenomenon ex decubitu materiae ex adfecto hemisphaerio in illud, quod è directo convulſionis adfectarum partium eſt, explicandum pronuntiat. In altera Quaeſtione factum utique agnoſcit, atque obſervationem veram credit; verum explicationem, quam alii de his phaenomenis dederant, nervorum decuſſatione adhibita, ſic rejicit (*s*): „ ſed ejus opinionis laevitas „ redargutione noſtrâ non eget. Docet enim αὐτοψία „ nervos omnes, qui à cerebri medulla exoriuntur, in ſuo exortu, progreſſu & inſertione „ omnino diſtinctos eſſe, ſi opticos exceperis, „ qui in medio itinere coëunt . . . ., ſed ita, ut „ ſeſe interſecent. Obſervavimus nuper, ſecundae conjugationis nervos in exortu continuos „ eſſe. Quod ad nervos ſpinalis medullae ſpectat, „ dextri à ſiniſtris diſcreti ſunt, nullo modo ſe „ interſecantes: abſurdum eſt igitur convulſionis „ & paralyſeos, quae fit è diverſo, cauſſam ad „ nervorum interſectionem & eorum permutationem, ut loquitur Aretaeus, referre, cum figmenta ſint & merae nugae." —— Hac igitur doctrina rejecta, ſuam explicationem adjungit (*t*), quae tamen hanc rem haud ita illuſtrare videtur. Nimirum oppoſitum latus paralyticum fieri credit ob transmiſſionem puris, ſanguinis, aliusve materiae morbificae ex laeſo hemisphaerio in ſanum è directo paralyſeos per ventriculorum communicationem, ita ut (cum decliviorem partem materia ſem-

(*s*) Ibid. p. 882.
(*t*) Ibid. p. 886.

V 3

ſemper ſequatur, atque in ſanum latus, quod tunc ſane declivius eſt, ſemper decumbant aegri) ſi ita loqui fas ſit, metaſtaſi quaſi materiae ex uno in alterum hemiſphaerium producatur paralyſis. Haec explicatio ei ipſi inſufficiens fuiſſe videtur, ſubjungit enim, „ Adferri poteſt & alia ratio, quod „ per vulnus natura excrementitium humorem ex„ cernere ſoleat, tum per fluxum ſanguinis, tum „ per puris excretionem, tum per medicamenta, „ quae trahunt exhauriuntque humorem, ita ut be„ ne expurgetur pars adfecta, at oppoſita pars, „ quae non expurgatur, facile adficiatur, vel per „ συμπάθειαν, vel materiâ ad eam transmiſſa aut „ decumbente. Sunt, qui velint ad partem, tu„ more aut inflammatione obſeſſam, ſpiritus fere „ omnes confluere, unde fit, ut illis defraudatae „ oppoſitae partes reſolvantur." — Quae, cum minus congrua videantur cum ſaniori Pathologia, mittimus, & ad aliorum Auctorum dogmata nunc pergimus.

J. B. Morgagnius, etſi factum obſervationis nequaquam in dubium vocet, ut ex iis, quae ante attulimus, atque ex illius aere perennioribus Operibus videre eſt, ad cauſſam cum pervenerit, rem rigide trutinat, dicitque (u), „ ſi igitur omnia, „ quae à me animadverſa ſint, attendas, primum „ du-

(u) Epiſt. Anat. XIII. art. 21. Morgagnius antea multa de hac quaeſtione monuerat, & ipſe (vid. art. 20.) in octo cadaveribus in nervorum decuſſationem inquiſiverat ſedulo; „ Verum in tribus, iiſque ad hanc perquiſitionem „ maxime idoneis, quod ad rem faceret, nihil vidit. In „ ceteris quinque invenit fibras medullares in aliis perpau„ cas, in aliis paulo plures, in aliis tenues, in nonnullis „ craſſiores conjungentes. Sed erant hae fibrae in trans„ verſum ductae, ut vix in uno paucae decuſſari, idque „ ſubobſcure, ſint viſae."

„ dubitabis, ſintne fibrae, quae memoratis in lo-
„ cis decuſſari dicuntur, pro decuſſatis reapſe ha-
„ bendae, an pro transverſis." Haec cum aſſeruiſſet, nonnullis interjectis, in locis tamen ante memoratis, ſi non cunctas, aliquas ſaltem, fibras decuſſari pronunciat; verum „ ex illarum numero cer-
„ tas quasdam à cerebello potius, quam à cerebro,
„ deducendas" eſſe ſubjungit. —— Hiſce praemiſſis, cautiſſimam inde ac juſtiſſimam concluſionem deducit: „ Ad paucas igitur fibras redimus. Fibra-
„ rum autem decuſſatio paucarum exponendae rei
„ ſatisfacere non videtur." —— Argumentum (*v*) inſuper adjicit, quod, me judice, inſigne hic habet pondus: nervorum ſcilicet eſſe paria nonnulla, quae ante decuſſationem in partibus memoratis aliis locis ſuam debent atque adepta ſunt originem.
„ Quae cum ita ſint, aut ego quidem (concludit)
„ plurimum fallor, aut altior adhuc, multoque
„ plurium fibrarum decuſſatio, quaerenda eſt, ut
„ puta in Calloſo Corpore, in quo ceteroquin *ve-*
„ *riſimilius* Lanciſio (Diſſert. de Sede cogit. Ani-
„ mae) *viſum eſt*, transverſas illas, ac parallelas
„ inter ſe fibras *alterno ductu*, *alteram à ſiniſtro*
„ *hemiſphaerio in dexterum ventriculi fornicem*, *al-*
„ *terum à dextro hemiſphaerio in ſiniſtrum fornicem*
„ *protendi*" —— Horum igitur omnium probe gnarus, edoctusque, fallere hic quam maxime quandoque *alterni lateris reſolutionem perpetuam*, explicationem non niſi ſcrupuloſe, & ſumma cum prudentia, propoſuit (*x*): „ Verumtamen quid eſſe dice-
„ mus cauſſae, quam ob rem id aliquando contin-
„ gat? Non unum fortaſſe, & in aliis aliud. Nam
„ primum ſic mecum cogita. Cum fibrae ſint plu-
„ ri-

(*v*) Mox cit. art. in fine.
(*x*) Ibid. art. 26.

„ rimae, quae paſſim ex utroque cerebri hemiſ-
„ phaerio in medullam, & hinc in nervos produ-
„ cuntur, minime autem conſtet omnes decuſſari;
„ veri certe ſimile eſt, quaedam eſſe in hemiſ-
„ phaeriis loca, ex quibus profecto fibrae, ſine ulla
„ decuſſatione, recta in medullam, nervosque pro-
„ cedant. Veri igitur ſimile eſt, ea tantum, aut
„ ea potiſſimum, loca vitiari, cum paralyſis ſub-
„ jectum non adverſum corporis latus occupat.
„ Et ſic quidem in quibusdam. In aliis vero alia
„ utemur ratione. Si enim fieri poteſt, ut, quam-
„ vis utrumque hemisphaerium aeque vitiatum ad-
„ pareat, alterum tamen reapſe magis vitiatum ſit,
„ ob ejus meningum convulſionem, nullum qui-
„ dem ſui veſtigium ſenſibile, at ingens nihilomi-
„ nus vitium relinquentem, quid prohibet, quin
„ ipſe ad eundem modum ſuſpicer, circum id, quod
„ ſanum videtur, hemisphaerium ejusmodi con-
„ vulſionem primum contigiſſe, quam ob rem ad-
„ verſum latus corporis ſit reſolutum, mox vero
„ illam excepiſſe novum aliquod in altero hemiſ-
„ phaerio vitium, non ſolum ſub oculos cadens,
„ ſed tantae etiam vehementiae, ut hominem con-
„ feſtim necare potuerit; non ſaepius quidem,
„ ſed quod ſatis eſt, perraro, & nonnunquam
„ tantum."

Ant. de Haen (y) quoad Decuſſationis doctrinam in ea quidem verſatur opinione: ex Auctorum nempe experimentis inſtitutis, atque adnotatis obſervationibus, concludi quidem poſſe, in cerebro dari ſe invicem decuſſantes fibras, non autem decuſſari omnes, ſed ex omnibus hiſce explicari minime poſſe, „ cur cauſſa eadem nobis viſa, potius con-
„ vulſionem, quam paralyſin excitet, aut vice ver-
„ ſa?

(y) L. cit. Parte IV. p. 245.

„ ſa? vel cur à cauſſâ iterum eâdem in uno homi„ ne oppoſitum latus paralyſi, latus adfectum con„ vulſione prehendatur, aut iterum in alio prae„ ciſe contrario modo?"

Quid jam ALB. HALLERUM, magnum quondam Naturae Inveſtigatorem, in omnibus fere Medicinae dubiis experimenta inſtituentem, iisque, aut ſubductis inde rationibus, lucem non raro maximam affundentem, quid Naturae illum Pictorem hac de re cogitaſſe credas? Miraberis, ſi hanc quaeſtionem Illum conjecturas inter poſuiſſe, referam. Ne vero haec parum conſiderate me dixiſſe autumes, evolve mecum varia Ejus Opera (z), ibique (ni fallor) veritatem confirmatam ſenties: nihil enim, ſi quid video, clarius quam illud eſt, quum dicat, „ Iidem forte funiculi" (agit quippe de utilitate funiculorum transverſorum aut rectorum) „ & transverſae conjunctiones medullae cere„ bralis, videntur efficere, ut, dextra ſede cere„ bri laeſa, adeo frequenter ſiniſtrum latus reſolu„ tionem patiatur. Vetuſtum placitum eſt, nervos „ cerebri ad decuſſim oriri. Et tamen hac in re „ aliquid diſcriminis videtur obtinere, ut in aliis „ hominibus latus dextrum cum ſiniſtro minus ma„ nifeſto conſentiat. Nimis enim frequenter unius „ lateris corporis, unius brachii, unius lateris fa„ ciei, unius lateris linguae paralyſis eſt; ex qui„ bus deducas, neque ſanum latus aegro emiſſis „ fibris ſubvenire, neque viciſſim ab aegro latere „ fibras accipere, quas vitiatas eſſe neceſſe fo„ ret." —— Alio loco (a) in hac materia quodam-

(z) Elem. Phyſiol. Tom. IV. p. 400.

(a) Conf. Primas Lineas Phyſiol. §. CCCLXXXIX. In Elem. Phyſiol. Tom. IV. p. 331. inquit, quod à ſummis Viris hic chiasmus in controverſiam vertatur, &, ut haec

 con-

dammodo laxior eſt Hallerus: ibi enim poſtquam varias fibrarum ope combinationes cerebri, cereqelli & medullae ſpinalis partium inter ſe enumeraverat, dicit: „ Manifeſtum enim videtur inde „ fieri, ut per infinita exempla, dextro latere ce- „ rebri laeſo, potius ſiniſtri lateris nervi per to- „ tum corpus reſolvantur, & contra:" hiſce tamen prudenter addit, „ etſi id videtur difficile non „ ſemper eam decuſſationem locum habere." Miror admodum, Ill. Hallerum, meis mox dictis praeconiis ſane majorem, in tanti momenti Quaeſtione non plura inſtituiſſe experimenta, quibus Naturam expiſcari, ac laudes ſuas adaugere adhucdum potuiſſet: quod ſi illud mirer, quid me mirari convenientius, doct. Metzgerum (*b*) ſcripſiſſe, decuſſationi nervorum ante eorum è cerebro exitum reniti eximia, quae Ill. Hallerus protulit, argumenta in Elem. Phyſ. Tom. IV, vixque hanc materiam tetigiſſe in Primis Lineis Phyſ. §. 389, cum, me judice, nec in uno, nec in altero Opere huic materiae pro dignitate fecerit ſatis.

Ducuſſationem negantium Auctorum partes etiam tenuit ſtrenuus totius S. N. Indagator Alexander Monrous, qui hanc de decuſſatione nervorum opinionem nondum in univerſum eſſe demonſtratam aſſerit, nec quarundam partium decuſſationem argumentum ſuppeditare momentoſum ſatis, quo ubique illud obtinere concludi queat ſatis firmiter, &, quod hiſce colophonem addit, inſuper obſtare obſervationes varias, quae latus è directo laeſi cerebri

confirmaret, Boerhaavii citat Praxin Medicam (Tom. I. p. 545.) eſt hac de re nullibi Boerhaavium agentem deprehendi.

(*b*) Adverſ. Medica Tom. I. pag. 41.

rebri paralyſi vel convulſione adfectum arguunt (*c*). Hicce MONROI locus primo intuitu ſi perlegatur, & conferantur, quae circa piſcium nervos ibi proſtant obſervationes citatae (*d*), ſuſpicari forſan liceret, utrum decuſſationis doctrinae non faverent potius quam obeſſent: verum ſi attentius perlegantur, adparebit contrarium: & quod nervorum decuſſationem attinet, ut eam in hominum nervis ipſe negat MONROUS (*e*), ſic & piſcium decuſſationem nervorum Cl. CAMPERUM, (quem Praeceptorem habuiſſe eximium cum *Groningae* degerem, nunc autem Fautorem egregium, ut laetus glorior, ſic cum magna animi voluptate recordor gratus) diſſectionibus fideliſſimis praeeuntibus (*f*), & alios (*g*) negaſſe legimus.

Egregius Inſtitutionum Medicarum BOERHAAVII Commentator (*h*) quaeſtionibus à BOERHAAVIO in iis propoſitis ſuperaddidit illam de *Decuſſatione nervorum*, interrogatque, cuinam uſui ſint ſtriae illae medullares transverſae in corpore calloſo, commiſſuris cerebri, ponte Varolii & aliis cerebri regionibus? Quod dum fecit, illas ad noſtram quaeſtionem explicandam eſſe adhibitas concedit, atque hanc opinionem niti obſervationibus largitur; verum tamen

(*c*) Vid. Tract. de Nervis, Latine redditum à doct. G. COOPMANS §. 8. pag. 4 & 5.

(*d*) Ibid. pag. 94.

(*e*) Ibid. pag. 93.

(*f*) In Nota ad locum mox cit. MONROI, & in Actis Harlem. Tom. VII. Parte I. pag. 95.

(*g*) Vid. HALLERI Diſſert. de Cerebro avium & piſcium in mox cit. Act. Harlem. Tom. X. Parte II. p. 336, 383. aliiſque in locis.

(*h*) P. H. MARHERR Praelect. in Inſt. Med. BOERH. Tom. II. pag. 404.

tamen neque ab altera parte diffitendum aſſerit, obſervationes dari practicas permultas, quae fibrarum illarum decuſſantium valorem tollunt, ac proinde, nihil certi de ea decuſſatione medullae adfirmari poſſe, concludit.

Atque, ut in recenſendis utriusque ſententiae Auctoribus receptui canamus, illorum agmen claudat JOH. DAN. METZGERUS (*i*): hanc Quaeſtionem hicce Auctor quodammodo attingens ex phaenomenis, in cerebri laeſionibus conſpicuis, an ad alternam fibrarum hujus organi praeſentiam concludendum ſit, interrogat, dicens „ an ex eo phaenomeno ſequitur decuſſari intra ſuam originem „ nervos, antequam è cerebro exeunt? Neque „ certe iſta Veterum obſervatio ita ſe habet, „ quin omne dubium excludat, cum certa fide viſi „ ſint aegri, qui in laeſo latere reſolutis nervis de„ cumbentes in oppoſito vel nihil paterentur, vel „ convulſionibus agitarentur. Quid ergo de hoc „ phaenomeno ſentiendum?" Mentem ſuam alibi, (*k*) aperit, fallaciamque hic eſſe commiſſam credidit in obſervando; nimirum, nimium Veterum doctrinae eſſe tributum, & hinc explicuiſſe Auctores, quae utcunque viderant. Mutationum, pergit, cerebri fibrarum neſcios nos eſſe, & quo usque procedat ejus commotio, quamnamve occupaverit partem; poteſt totum turbari, poteſt etiam & illius modo pars vitiari aliqua; poteſt dextrum ictu adfici, ſiniſtrum illo ictu ſanguine adimpleri; poſſunt & aliae obtinere conditiones, quae laeſionem determinare reddunt ἀδύνατον. —— „ Datis autem (ex praemiſſis ſic porro concludit) „ his circumſtan„ tiarum varietatibus, dantur ſimul & conditiones „ ſub

(*i*) In Libro ante citato pag. eàdem.
(*k*) Ibid. pag. 44. & ſeqq.

„ ſub quibus ſive in utroque latere reſolvi nervos „ oportet, ſive in alterutro convelli aut reſolvi. „ *Univerſalis* itaque Encephali concuſſio univerſa- „ lem quoque in functionibus animalibus paralyſin „ inducet, *Partialis* vero partialem; eamque nun- „ quam non in eo latere, quo cerebrum fuit com- „ motum, ita ut perinde ſit, unde acceperit plagam „ aegrotus. Ex ea autem parte, qua liberum re- „ manſit N. S., ex conſenſus iſtius mirabili lege, „ quem inter ſe alunt partes C. H. potiſſimum ſi- „ milares, cujusque virtute mutuas ſibi ſuppetias „ ferunt, in enormes impetus abripitur natura, „ convulſiones ciet, ut ita non peculiaris aliqua „ acrimonia quaerenda, quae nervos irritat, ſed „ inter activa ſymptomata reponenda ſit nervorum „ diſtenſio. Fidem enim & huic afferto adſtruunt „ moribundorum, qui ex ſanguinis profluvio, vel „ alia ejusmodi cauſſa obeunt, phaenomena, inter „ quae nunquam non & dirae convulſiones adpa- „ rent. Ita quoque prone concipitur diſſenſus iſtius „ ratio, quem inter obſervationes huc ducendas re- „ peries, atque facile intelligitur, nullum inde de- „ duci poſſe argumentum pro nervorum decuſſatio- „ ne." — Atque haec dicta ſatis, ut, propoſi- tis ad utramque opinionem ſuſtinendam, quae a va- riis afferuntur, tranſeam tandem ad tertium, illud- que ultimum, hujus Sectionis Caput.

---

# CAPUT III.

## UTRA DE NERVORUM DECUSSATIONE AUCTORUM SENTENTIA POTIOR, ET QUID DE ALTERNORUM MORBORUM NERVEORUM CAUSSA STATUENDUM SIT INQUIRENS.

### §. I.

*Explicationis Cauſſarum difficultas.*

Siccine doctrinam Decuſſationis ab antiquiſſimis temporibus jam traditam, receptam, atque explicandis phaenomenis ante allatis apprime convenientem viſam, tantum Adverſariorum numerum habuiſſe crederes? nec Adverſariorum tantum, quorum proprie obloqui aut contraniti erat animus, ſed quorum inveſtigandi veri unicus erat ſcopus, unica opera? — Ita tamen haec ſeſe habent, atque haec proprie ſunt, quae ad concludendum dubium reddunt quemvis: negare etenim velle, quod uterque ſuae ſententiae addictus aut non viderit, quae in medium ſunt prolata, aut pronunciarit tantum, quo ſua firmetur ſententia, Virorum utriusque partis prohibent candor, integritas ac veritatis inquirendae ſtudium.

Gravis haecce Quaeſtio, ac in Vulnerum Capitis & adfectionum ejus morboſarum ab interna cauſſa facienda diagnoſi, prognoſi & curandi methodo tam inſignis momenti, ita ſi foret dirimenda, ut

Auctoritate foret pugnandum, utra firmior foret ac potior ſententia, ego quidem in medio potius relinquerem, ac nullius ſuſtinerem partes, quam quod unius aut alterius Auctoritate ſeductus me a veritate deflecti ſinerem. —— Verum ratione unius aut alterius partis neutri addicto ſententiae, ac permulta, durante tempore, quod in elaboranda hac Diſſertatione collocavi, hac de Quaeſtione cogitanti, ſubvenerunt argumenta, quae Anatome & Ratione ducibus, doctrinam Decuſſationis ſubvertere videntur penitus: atque haec proferre, quo finem properem, meum nunc eſt.

Antequam autem hunc ingredior campum, monitos volo Lectores, ne plus hic exſpectent, quam ab Artis tyrone, ſuae tenuitatis gnaro, deſiderari & requiri poſſet. Quapropter, etſi tentem hic quaedam addere, quae cogitationi forſan ulteriori ſuppeditare poſſent anſam, quaeque culta magis ac recocta ſaepius his majorem addere poſſent lucem, ne cogitent tamen profecto, me in his explicandis ita acutum cernere, ut nemo acutius. Nil minus. Supermanent in Cerebri, *cui magna vis eſt*, ut inquit Ballonius (*l*), *ac admirabilis in illo architectando ſollertia*, ſtructura atque actione determinanda difficultates inſignes, tantaeque in penitiori ejus ſtructura tenebrae, ut hic (& utinam modo hoc Naturae eſſet velum unicum!) terminos agnoſcere humano ingenio à Creatore poſitos oporteat, utque indefeſſo, circumſpecto tamen, Scrutatori concedere fas ſit, quam ſit abſcondita ſuis in Operationibus Natura, nec niſi per ſe ipſam detegenda, ſibi ſoli intellecta, & quantum aberremus, ſi ingenio potius limitato, quam Naturae voce doceri tentemus etiam ſagaciſſimi.

§. II.

(*l*) Lib. ante cit. de Convulſionibus.

## §. II.

*Argumenta, ex Anatome & Ratione deſumta, proponit, quae Decuſſationem Naturae incongruam eſſe, docere videntur.*

Nervorum Decuſſationi obnitentia mihi argumenta varia ſunt. — Primum, illudque, ut autumo, non valoris infimi, contra fibrarum medullarium alternam poſituram mihi ſuppeditat ipſarum Obſervationum attenta comparatio, utut comprobare, quae comprobanda forent, videantur: ſcilicet ex iis omnium manifeſtiſſimum eſt, quandoque fallere hic factum, nec adeo fallere, ut adhuc contorqueri (*m*) phaenomena eorumque cauſſae, & ad hypotheſin Decuſſationis accommodari, queant, ſed ita, ut & obtinere in dextro v. gr. hemiſphaerio cauſſas, & eodem in latere inde producta eſſe ſymptomata, utrimque aeque firma conſtet veritate. Attentius quippe animum ſi advertimus ad Obſervationes, quas recenſuimus (*n*), in concludendo inſignis deprehenditur difficultas, ita ut dubitantem quemvis reddant, quae ſuſtinendae partes ſint: ſic hujus Sect. Cap. I. §. I & II. aſſeritur quidem, à laeſione cerebri dimidii partes oppoſitas convelli aut paralyſi corripi, & hanc quidem adfectionem, prout illarum cauſſae ſtimulantes ſunt vel comprimentes, oriri poſſe concipimus, at vero Cap. II, §. III. in Nota (*e*) asſeritur, convulſionem oriri è directo partis cerebri laeſi; ita ut haec invicem ſibi repugnent manifeſtiſſime. — Si praeterea comparemus Cap. I. §. III.,

(*m*) Ita de his ſenſit Ill. SWIETENIUS Comment. l. ante cit. vid. pag. 150.

(*n*) V. hujus Sect. Cap. I. praeſertim §§. quinque prioribus.

§. III., an in iis caſibus unicum ſtatuemus effectum? decuſſationis Patroni hoc adſerent quam maxime, cum alias eorum funditus everteretur doctrina, ſic enim in quovis hemisphaerio obtinente laeſione ſtatuendum potius videretur, quodvis hemisphaerium ſuo in latere ſua producturum phaenomena. — Ejusdem denique Cap. §. IV. non melius aſſumendae decuſſationis doctrinae medetur, quin imo ei potius adverſatur plenarie: manifeſto enim hic Obſervationibus, omni dubio majoribus, probatur, laeſionem fuiſſe inventam in cerebro è directo & paralyſin ſimul. At forte hanc defendentes ſententiam aſſerent ſummo cum ardore, laeſum utique hic fuiſſe hemisphaerium alterum, & hinc paralyſin in oppoſito latere fuiſſe productam, nullum autem vitium produxiſſe manifeſtam illam laeſionem cerebri è directo. Largimur, quandoque cerebrum laedi poſſe viſibili & manifeſto modo, absque ſequente laeſione partium, quae à cerebro habent nervos: in promptu ſunt harum obſervationum hiſtoriae; verum an illas hic aſſumere liceret, ac Naturae conſuetum iter contorquere, quo praejudicata confirmaretur opinio? Laeſionem manifeſtam reperire in uno cerebro, & in altero haud viſibilem, pro his phaenomenis producendis ſupponere, quo Natura potius explicationi, quam haec illi congrueret, ego quidem temerarium duco.

Haec igitur aſſertio ſi vera ſit, quemadmodum, ut opinor, eſt veriſſima, ſicque ſimul aſſumatur revera organon motus & ſenſus alternare, quid inde quaeſo ſequitur? illud nimirum, aut à veritate deflectere primum, quod ſtatuimus; aut hallucinatos eſſe Scriptores, qui decuſſari Nervos autumant; aut denique hac in parte variare quodammodo Naturam, nec certas hic obſervare leges.

Atqui veriſſimum eſſe primum, res ipſa loquitur atque experientia, hic falli neſcia; ergo falſum ſit, quod ſecundo loco propoſui, neceſſe eſt: etenim aſſerere velle Naturam ſibi adeo conſtantem, nudam, ſe ſolam tuentem, inviolatam, ac ubivis ſibi ſimilem, ſuo hic deflecti tramite temerarium non tantum eſt & audax; verum hic obloquuntur etiam omnia, quae vides & non vides, phaenomena: nec mundanorum tantum, quatenus perfectionum omnium complexum tradunt ineffabilem & theatrum vaſtiſſimum, verum noſtrae etiam Oeconomiae omnia monſtrant, quicquid etiam Medicinae clamant Oſores, effecta. Conſideraverit modo quis, C. H. corpus eſſe phyſicum, ſuis imbutum proprietatibus, easque iisdem ac alia corpora ſuis phyſices obnoxias eſſe legibus; addiderit inſuper, praeter firma id fluidis componi, adeoque hydraulicam eſſe machinam, ſuis proinde hydraulicis hydroſtaticisque Legibus ſubjectam; conſpexerit Naturae humanae agendi modum ejusque leges, ubivis ad ſuos effectus ſuasque actiones, mortalibus haud ſemper explicandas, accommodatas; morborum, ſi à ſuo functionum tenore deflectat machina, attenderit decurſum, ſic ut, quae notavit Medicinae AUCTOR de Acutis, RHAZES de Variis, Alii abhinc bis mille annis de aliis, DIOSCORIDES, GALENUS (ut exemplo ſit) de *jalappa*, *rheo* & ſimilibus, compareant hodienum veriſſima; haec omnia, dico, qui contempletur, & violabiles H. C. aſſeruerit Leges, ut AUCTORIS OMNIUM detrectat Sapientiam, ſic cujus tam perfecto Mens cingatur Corpore indignus eſt. —— „ Audiant haec Obtrectatores, & cum didicerint „ ſcientias puras ab iis, quas applicatas vocant, „ contemplativas à practicis, diſtinguere, videant, „ quo-

„ quo jure Medicinam prae aliis, ut omnis certi „ expertem, infament (*o*)!"

Si alterna fibrarum medullarium poſitura obtineret, ſemper ſive paralyſin, ſive convulſiones, prout cauſſae hanc illamve producentes eſſent variae, accidere debere, ex Naturae humanae inſtituto ejusque legibus ſenſit etiam Ill. Auguſtiſſimae Romanorum Imperatricis quondam Archiater Haenius (*p*), cum dicat, „ ſane ſi morbi laeſi oppoſitam corporis plagam perpetua lege afficerent, „ omnia, quae ad hanc quaeſtionem ſpectant, ex„ poſita decuſſatione jam explicuiſſemus."

Hoc unico in argumento, cum ſufficiens ſit, ſubſiſtere etſi poſſem, alia tamen inſuper addam, quae illud confirmant, & hinc ſecundo loco dico, quod ipſa etiam admiſſa decuſſatione (quod contra Haenium eſt) ἀδύνατον ſit obvia explicare ſymptomata. Ex antecedentibus (*q*) quippe omni dubio majoribus ſequitur, laeſiones in ipſius medullae ſpinalis dimidia parte inſtitutas non oppoſitarum, verum contiguarum partium tenorem, quem à nervis, ſeu ab illius fonte, medulla ſcilicet ſpinali, repetunt, interturbare ac deſtruere: & quid ex illo profluit flumine? hoc, quod, ſtantibus Decuſſationis theoria & obſervatis anatomicis, 1°. illa aeque obtinere debeat in medulla ſpinali ac in cerebro, cerebello, eorumque oblongata & ſpinali medulla; vel 2°. cerebri contextus alternet ſolus, ab illo vero medullae ſpinalis fibrarum ordo ex quovis hemisphaerio directo & parallelo ductu & ſecundum longitudinem decurrat. — Si obtineat primum, quantum ad

(*o*) Verba haec ſunt Venerandi atque Ill. Gaubii in aere perenniori Pathol. §. 26.

(*p*) L. ante laud. pag. 211.

(*q*) Vid. hujus Sect. Cap. I. §. V. pag. 120. & ſeqq.

ad paralyſin vel convulſionem oppoſiti lateris, haec datae explicationi ſufficiunt: etſi hic moveri adhuc quaeſtio poſſet, quare tunc non fiat, ut omnes partes N. C. dimidii non paralyſi adfectioneve corripiantur ſpasmodica? Atqui dum haec vera ſunt, quî laeſa dimidia ſpinalis medullae parte in eodem producta effecta tradentur explicita, quae, ut nunc conſtans eſt in eodem oriri latere, ſic ex aſſumta decusſatione in oppoſita oriri deberent effecta? & hinc

*Speque timor dubia, ſpesque timore cadit.*

Ab altera parte, ſi ſcilicet aſſumatur fibras cerebri decuſſari, medullae autem ſpinalis parallelo & directo ductu decurrere, ſequitur liquidiſſime, in priori caſu ſi obtineat laeſio cerebri, illas tantum partes paralyſi vel convulſione adfici debere pro dimidia parte, eaque oppoſita, quae ſuos ſortiuntur nervos ab Encephalo, illas autem, quae à ſpinali Medulla eos accipiunt in ipſo latere adfecto illis debere corripi adfectionibus. Atqui falſum hoc per Obſervationes contrarium demonſtrantes, ergo à potiori Primum. Hic igitur

*Quo cadat in dubio eſt, omnique à parte timetur.*

At objicient hic Decuſſationis doctrinae Patroni, me ex eorum Obſervationibus falſam condidiſſe hypotheſin, aut, mitiores ſi quodammodo ſint, me perverſe hanc rem concepiſſe: ſcilicet alternare quidem cerebri contextum & medullam ſpinalem, verum ita eſſe diſpoſitos fibrarum ordines, ut, qui hemisphaerium conſtituunt ſiniſtrum, à dextro oriantur cerebro, & vice converſa; at vero cum ad componendam medullam ſpinalem ex cerebri cujusvis ſive utriusque hemisphaeriis ſtamina emittantur, ea ita decurrere in Medulla oblongata, medullae

ſpinalis quaſi principio, ut ibidem decuſſentur, ac decuſſata poſtmodum in medulla ſpinali recta decurrant ac parallelo ſitu. Confirmant hanc rem inventa ſtructura cerebri, & ibi loci aſſerta ſtaminum decuſſatio, quemadmodum ſupra (r) vidimus. Atque haec omnia ſi ita ſeſe habeant ac comparata ſint, concipitur egregie, quî, laeſo v. g. dextro cerebro, adfectiones produci poſſint nervoſae dimidii Hominis, ita ut & nervi, qui ab Encephalo oriuntur, & ii, qui à ſpinali medulla ſuam repetunt originem, ſuam monſtrent adfectionem morboſam in partibus, quae ab hac illove nervos repetunt, oppoſitis.

At vero (quod contra hos ita ſentientes tertio loco regero) ſi comparemus, quae ex gravi Auctore, ac curioſo C. H. ſcrutatore, Morgagnio adduximus (s), vidiſſe ſcilicet Eum ex quovis hemisphaerio in quodvis è directo latus medullae ſpinalis fibras tendere permultas, paucas autem, ſi quae decuſſentur, illas eſſe, ac huic praeſtando effectui impares, dicta non ita liquido, ut opinor, adſumenda ſunt. Demus autem rem ita ſeſe habere; non proinde mihi adhuc illius rei notio evadit clarior: quid ſcilicet, ſi haec ita asſumamus, eveniet in caſibus laeſionum cerebri ſive vulnere, ſive compreſſione gravi, aut oſſium intropreſſione productarum? Quodvis hemisphaerium (aſſumta decuſſationis doctrina) ſuas emittet medullares fibras in ſuum compar, & ab hoc recipiet iterum, dextro in ſiniſtrum, ſiniſtro in dextrum. — Praeterea, theoria Cl. Saucerotte (t) ſi

(r) Vid. Sect. hujus Cap. I. §. V. inpr. pag. 127. & Cap. II. §. II & §. III.

(s) Vid. Ibid. Cap. II. §. VI. pag. 158. & ſeqq.

(t) Vid. Ibid. Cap. II. §. IV. pag. 151.

ſi ſtabilis ſit atque admittenda, accedet iis adhucdum ex hemisphaerii v. g. dextri anteriori parte in ſiniſtri cerebri partem poſteriorem, & vice converſa (idemque dicendum de ſiniſtro hemisphaerio) decuſſatio quadruplex, ita ut ex quovis hemisphaerio fibrarum medullarium ordines emittantur tres, quos dum totidem accipit quodvis, requiritur, ut quodvis hemisphaerium ſextuplici gaudeat fibrarum ordine. — Ex praemiſſis illis mihi colligendum autumo, quod, aſſumta hac fibrarum ſtructura ac diſpoſitione, indifferens ſit quoad effecta paralyſeos & convulſionis, utrum unum, an ambo, laeſa fuerint hemisphaeria, cum ex dimidii cerebri laeſione univerſalis deberet produci paralyſis vel convulſio, ſaltem talis, quae praeciſe non ad dimidium Hominem ſe extenderet. — Ut clarius hoc adhucdum fiat, notamus, dum vulnere, compreſſione, vel partium deſtructione unum laeditur hemisphaerium, cujusvis ſive utriusque hemisphaerii laedi ſimul ſtamina medulloſa, & hinc functiones omnes, quas ab Nervis partium laeſarum mutuant, in utroque (ſi dicere ſic liceat) corpore interturbari debere, aboleri, aut animoſius incitari, ita ut hinc ſenſus motusque accidat abolitio, aut partium producatur contractio violenta.

Argumentum inſuper praebet quartum, quod jam ex Morgagnio adnotavimus (*u*), nervorum ſcilicet eſſe paria nonnulla, quae ante decuſſationem, ſi illam in quibusdam modo cerebri partibus conſpici & adeſſe ſtatuitur, ſtaminum cerebri egrediuntur: hoc autem ſi verum ſit, ipſam explicandi rationem deſtruit, vel ſi dicatur illa paria ante eorum è cerebro exitum decuſſata eſſe, in eum, ite-

(*u*) Vid. hujus Sect. Cap. II. §. VI. pag. 159.

iterum relabimur errorem, quem refutando jam excuſſimus.

Ne quid denique omiſiſſe videar, quod memorandum convenit, requiritur, ut quinto & ultimo loco paucis hic commemorem, quinam experimentorum fuerit ſucceſſus, quae in cerebris animalium inſtituerunt doct. LORRY (v) aliique, quo pateat ſic, quam cautos nos eſſe oporteat, ne cauſſis quandoque quid tribuamus diverſis, & illis nimium nixi & ſeducti perverſam quandoque inſtituamus medelam. Auctor hic celebris, varia in animalibus inſtituens experimenta, invenit, quod nunquam producere potuerit ſoporem, apoplexiam, paralyſin ſive univerſalem ſive particularem, quamcunque etiam aut quacunque in cerebri parte admoveret preſſionem; at dolorem tantum excitaverit inſignem, quem ejulatu, cruciatibus & ſeſe liberandi conatu haec indicabant animalia. Similis experimentorum eventus fuit Cl. LAGHIO, quemadmodum teſtatur Ill. HALLERUS (x), qui ſuam experientiam contra LORRYI & LAGHII experimenta adducens, aſſerit: „Ego tamen tot in experimentis „multo omnino & numeroſioribus, & nullam ad „cauſſam ornandam inſtitutis, ſemper vidi, omnem quidem cerebri compreſſionem graviter canes ferre, à majori vero qualibet ſopiri, ronchos „demum edere." Et ſane allata haec Cl. LORRYI & LAGHII experimenta numero nimis pauca ſunt, nec

(v) Vid. *Memoire ſur les inconveniens contre la nature du Cerveau, & ſur les organes qui ſont le principe de ſon action, inſerée dans les Memoir. preſentées à l'Acad. R. des Sciences par divers Etrangers*, Tom. III. pag. 444., vel, his ſi quis careat, adeat *l'Hiſtoire de l'Anat. & de la Chir. par* M. PORTAL, Tom. V. p. 448. & ſeqq.

(x) Elem. Phyſ. Tom. IV. p. 301.

nec eorum ad Hominum cerebra legitima ſatis comparatio, quam ut iis ceterae everterentur obſervationes. Quicquid vero horum omnium ſit, ante allata argumenta contra Decuſſationem Nervorum dum ſerio volvam animo, tantum apud me valent, ut hancce doctrinam relinquere cogar, ac illam pro conjecturali habeam.

## §. III.

*Difficultates, quae, rejecta Decuſſatione ſupermanent, memorantur, & quid ex allatis concludendum ſit, proponitur.*

Sunt tamen & interim quaedam difficultates, quae, negata hac Doctrina, vix queunt concipi, quaeque hic eo magis memorandae ſunt, quo videat quivis, quaecunque etiam aſſumatur ſententia, ſupermanere tales haud ficulneas, nec ſolvendas ita facile, & credibile eſſe (ut inquit Nob. TULPIUS (y)) nos caecutire in genuino cerebri regimine: cujus opera multo fortaſſis ſunt diviniora, quam quisquam hactenus ſuo comprehendit captu. Agedum ad illas transeamus.

Quamquam obſervationes antea allatae neutiquam probare poſſunt, Decuſſationem Nervorum locum habere, quum ſaepenumero fallant, & quidem nimis frequenter, quam ut tantum exceptio à regula ſit vocanda; tam ſaepe tamen manifeſtae fuere detectae laeſiones in uno latere & ejus effecta in altero, ut vix credi queat, à commotione cerebri in hemisphaerio, quod è directo erat, illam adfectionem, ſive paralyticam ſive convulſivam, repetendam, & proinde nihil tribuendum eſſe manifeſtae illi laeſio-

(y) Lib. I. obſ. XXIII.

ſioni. —— Ita ſi ratiocinari vellem, quo meas ſuſtinerem partes, objici poſſet juſtiſſima ratione, me aliorum illud ratiocinandi genus antea jam exploſiſſe (z). — Largior potius hic difficultatem inveniri, & hanc ipſe propono, quo nihil ſic omittam, quod adducendum videretur, & ſimul demonſtrem, quod in praecedentibus jam dixi, ſupermanere lacunas ac hiatus, quaecunque etiam adhibeatur phaenomenorum explicatio.

Sed aliud quid adhucdum eſt, licet non tamen noſtram deſtruat aſſertionem, quod dubiam ac determinatu difficilem facit rem: inter experimenta ſcilicet, quae circa hanc doctrinam inſtituerunt Medici, varia ſunt, quae ſi decuſſationem non indicant, arguere tamen videntur, quod, uno hemiſphaerio laeſo, in oppoſito latere corporis ejus effecta nonnunquam producantur. Nam ſi in memoriam reducimus ante adducta in animalibus inſtituta, inprimis v. g. PETITI & SAUCEROTTII *(a)* tentamina, concludere tenemur, in illis in uno tantum hemiſphaerio productam laeſionem, atque intactum fuiſſe reliquum. Jam vero his in experimentis ſi ſymptomata fuerint producta in oppoſito latere, quemadmodum refertur, nullum nobis ſupermanet effugium, quo eventum negaremus. Inter omnia illa maxime etiam huic concluſioni favet experimentum MOLINELLI, quod ex Commentariis Inſt. Bononienſis protulimus antea (*b*), qui ſcilicet lobum cerebri ſiniſtrum in cane totum abſtulit, ejusque ablationis effectus fuit, ut in dextro latere evaſerit paralyticus. — In illo nunc caſu ſane nulla alteri hemiſphaerio, quod è directo erat partium affecta-rum,

(z) Vid. hujus Cap. §. praecedentem.
(a) Hujus Sect. Cap. II. §. III. pag. 148. & §. IV. pag. 152.
(b) Ibid. §. III. pag. 149.

rum, illata fuit laeſio, & tamen in oppoſita parte corporis effectus fuit productus. Eodem fere redit experimentum, quod in cane inſtituit Cl. J. G. Zinn (c). Ille ſcilicet acu triquetra laeſerat corpus calloſum, illaque laeſio progrediebatur retrorſum & paulo ſiniſtrorſum, per ventriculum ſiniſtrum & corpora ſtriata ſiniſtra, ad baſin cranii: ſiniſtrum igitur hic laeſum erat hemisphaerium; attamen refert, illius laeſionis ſymptoma paralyſeos in muſculis dextri lateris conſpicuum fuiſſe.

Hae ſunt Difficultates, quas memorare volui candide, ac nullo modo contorquere, quo noſtra ſententia majorem prae ſe ferret veri ſpeciem, non enim fingendum eſt, ſed videndum, quid Natura faciat feratve.

## §. IV.

*Negata Decuſſatione, an alia Phaenomenorum explicatio detur, inquiritur.*

Quaeri certe jure poteſt, utrum, diſcuſſo &, ni fallor, demonſtrato, nec vetuſtioris aevi ſententias, nec decuſſationem Nervorum aut ſtaminum medulloſorum cerebri, explicando pares, nec materiam hanc ad evidentiam omni dubio majorem redactam eſſe, alia excogitata ſit, aut excogitari queat, explicatio, quae Quaeſtionem hanc abſolvat difficilem? —— Aliam excogitatam fuiſſe, antea patuit (d); nimirum, decuſſationis theoriam rejicientes Morgagnius & Metz-

(c) Vid. Diſſert. Ejus inaug. ſiſtens Exper. quaedam circa corpus calloſum, cerebellum & duram meningem, in vivis animalibus inſtituta, Gottingae 1749. 4to.

(d) Vid. Sect. hujus Cap. II. §. VI. pag. 159, 160, 164 & 165.

METZGERUS ſuum hic exercuerunt ingenium. An autem hae Auctorum ſententiae rem abſolvant, vereor ut aſſeram: cum enim dicat MORGAGNIUS (quod venia manium tanti Viri dictum ſit) paralyſin in ipſo latere explicandam eſſe ex vitiatis illis fibris, quae longitudinaliter poſitae in nervos abeunt; non video, quî hemiplegia inde perfecta omnium partium nervis inſtructarum, niſi conſenſu hoc fieri ſupponas, oriri poſſit: & ab altera parte, an meningum quidem convulſio, ſi oppoſitam ſpectat plagam, paralyſis cauſſa hic quidem accuſanda ſemper videatur, dubito: ſic enim non perſpicio, quare ceſſante hac convulſione non etiam ceſſet convulſio, niſi, quod largior, hac convulſione meningum tantam partium cerebri tenerarum adeo, ſubortam turbam, ut poſtmodum ſuis functionibus ineptae ſint, ſupponas. —— Hoc autem poſito, ſecundo loco rogare liceat, quare fiat, quemadmodum obſervationibus conſtitit, ut redintegratus partium oppoſitarum tantum fuerit tenor tunc, tuncque ſolum, ubi abſceſſus, ſanguis extravaſatus aliusque effuſus humor evacuatus fuerit. Haec ſunt, quae impediunt quo minus MORGAGNII amplecti queam ſententiam.

Et ut de conjectura doct. METZGERI (*c*), quod ſentio, libere dicam, illa, me judice, in explicandis dictis phaenomenis haud majoris ponderis eſt: etſi enim obſint & ipſae Obſervationes (ut recte inquit METZGERUS) & argumenta inſuper ipſa ſuppeditet ratio, ut ſupra ni fallor evicimus, quo minus alterna fibrarum aſſumi queat poſitura, in ipſis tamen phaenomenis ſuperſunt remanentque difficultates haud ficulneae, quae non juſte concludi poſſe arguunt, ſemper adfectum eſſe illud hemiſ-

(*c*) Vid. pag. 164 & 165.

miſphaerium, in cujus è directo latere conſpiciuntur ſymptomata. — At vero ſi vel illud omittimus, quid de reliquis erit ſtatuendum? obtinente ſcilicet paralyſi in uno latere & convulſione in altero, convulſivi iſti motus an activis adſcribendi erunt ſymptomatibus? Naturam humanam Corporis ruinae minitanti proſpicere, &, qua poteſt opera, ei obniti, quovis intendit modo. Motus illam ciere ſpontaneos & molimina animadvertere licet; at convulſionem in uno latere, dum paralyſis ſit in altero, huic virtuti vigili adſcribere, ego quidem dubito; & dubito quidem eo magis, quod nec conſtans in iis producendis ſit Natura, nec requiri videantur, neque paria ſint, Ejus molimina, quibus praeſens malum vel ſublevare, vel corrigere, queat. Sed haec dum aſſero, ſentio quidem hic regeri poſſe, Naturam ſaepe irrita inſtituere conamina, donec tandem vi morbi victa huic ſuccumbere ſit coacta. At vero connubium (utut etiam illud dari ipſe probe perſpicio) ſi tam inſigne duo inter hemiſphaeria detur, ut altero adfecto alterum in conſenſum trahatur, ego quidem, niſi penitus fallar, haec ſemper adfore molimina, neceſſe ſit ſuſpicarer, cum ſic illa phaenomena ex nexu illo indiſſolubili quaſi pronaſci debere viderentur: quae quum Obſervationibus hujus morborum generis contraria ſint, quo minus hanc amplectar ſententiam, ducor ratiocinio.

Ego (quod praefiſcine mihi dicere liceat) per longum tempus huic materiae intentus, ac, quantum potui, omne, quod ad illam conferri poſſet, colligens & comparans, quo plus colligo, comparo & quid probe videre videor, eo majorem hac in Quaeſtione dirimenda & explicanda offendo difficultatem. — Conſtantem hic haud eſſe obſervationem, ita ut decuſſatim hic ſemper oritura ſint phaeno-

nomena laeſi dimidii cerebri, invictis, ni fallor, demonſtravi argumentis; demonſtravi inſuper, haec ipſa phaenomena fictam nervorum deſtruere decuſſationem, & alia ratione ſuggeri argumenta, quae illam penitus rejiciendam ſuadent: at ſimul ab altera parte innui, dubia hic ſupereſſe quaedam haud levis momenti, ita ut, quid proprie de hac Quaeſtione ſtatuendum ſit, in medio relinquam. Sufficit mihi, per multa ſaecula inhaerentem opinionem; & huic infidam ſuperſtructam explicationem, excuſſiſſe; &, licet forte ille mereatur magis de Orbe Litterato, qui receptam opinionem & probabilem confirmet, quam qui omnes evertendo aut nullam amplectatur, aut ſuam fateatur ignorantiam, malui tamen hic gradum cohibere, quam per tenebras illidere: „ Natura enim munera ſua „ non ſimul tradit, nec omnibus patent, reducta „ ſunt & interiori ſacrario clauſa: ex quibus aliud „ haec aetas, aliud poſtera accipit & depro„ mit (*f*)."

Qui meliora de his ſapit, ut pro Artis ſalutiferae incremento, ſic & praeprimis Humani Generis ſalute, ea in medium protrahat, aut poſt meas hac de re lucubrationes ſi veterrimum quis excuſſerit inhaerentis opinionis jugum, ut majori hac in re perſpicacia inſtructus noſtro conamine incitetur, quo explicationem magis det abſolutam, ſperamus ſerio. — „ Multum quidem egerunt, „ qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, mul„ tumque adhuc reſtat operae, multumque reſta„ bit, neque ulli nato poſt mille ſaecula praecide„ tur occaſio aliquid adjiciendi (*g*)."

§. V.

(*f*) Seneca in Quaeſt. Lib. VII. Cap. 35.
(*g*) Apud Eundem Epiſt. 33.

## §. V.

*Quaeſtiones, quae ex antecedentibus fluunt, perſtringuntur.*

Atque ita dum ſentio, non tam difficile mihi erit judicium ferre de Quaeſtionibus duabus, quae ex antecedentibus ſua ſponte quaſi fluunt, 1°. ſcilicet, *Utrum in Apoplexia & Laeſione Cerebri, quam conſequitur Hemiplegia, V. S. inſtitui debeat in adfecto Latere, an in oppoſito,* & 2°. *Quid ſtatui debeat de Effectibus Vulnerum Capitis convulſivis vel paralyticis pro dimidia parte Corporis, in facienda eorum ſedis diagnoſi, periculi prognoſi & curationis methodo.*

Cognitum probe & ad amuſſim perſpectum ſi foret adfectionum illud genus, quod in longum pertractavimus, duplex hiſce adflictis adduci poſſet emolumentum, alterum, ut è directo adfecti Lateris inſtitueretur V. S., quae ferme omni in tali caſu indicatio urgens eſt, quamque omni caſu potiorem eſſe in antecedentibus (*h*) argumentis omni dubio majoribus, & ab experientia, fida illa magiſtra, deſumtis evicimus; alterum, poſito, quod aliqua determinata in parte unius hemiſphaerii, vel & utriusque effuſus eſſet ſanguis, aliusve humor alienus (commotio enim ſi medulloſorum cerebri ſtaminum adfuerit, generalis adhiberi tantum poterit cura) ut ſciri poſſet ſedes mali, periculum indicari, ac trepano aperiendo caput, quo humor evacuari poſſet, cura fortunatior ſaepe inſtitui.

Con-

(*h*) Vid. Sect. I. Cap. III. §. VIII. pag. 99., ubi illius jam fuit facta mentio, ita ut illa cum his conferri mereantur

Conſtans modo ſi foret Obſervatio factorum, perinde nobis eſſet, utrum ad amuſſim horum phaenomenorum explicatio poſſet dari, an minus: experientiam quippe tantum dictis in caſibus conſulere oporteret, quemadmodum etiam faciendum credidi de priori Quaeſtione, cum hac quidem (ut ſupra vidimus), quantum ex aliis Auctoribus addiſcere potui, conſtiterit, fortunatum ſemper fuiſſe eventum, ſi ex ſana detraheretur corporis parte: & illud quidem eo magis mihi praeſtandum videtur, quod Nervorum influxum legitimum cum caret ſyſtema circulatorium, hoc in latere debilitetur adeo humorum circumagentium progreſſio, ut quandoque vix, quandoque nullatenus, educi queat latex ſanguineus, qui per adfectum decurrit latus. Etiamſi igitur ſtatuamus, è directo cerebri laeſi ſemper adfici Corporis dimidii partes, vel contra laeſo cerebro oppoſitas adfici partes, & vel maxime putemus, in genere V. S. directam plus profuturam, ob Hominis dimidii conſenſum & bipartitionem, quemadmodum Sect. I. probavi; in hoc tamen caſu, experientia duce, ad V. S. in oppoſita parte adfecti corporis maxime recurrendum erit, ut V. S. evacuatoriae effectus ſi non fortunatiſſimi, fortunatioris ſaltem, quam nullam inſtituendo, potiri adnitamur (*i*).

At vero quantum abeſt, ut de altera Quaeſtione determinatum proferatur judicium: fallit hic experientia, & illa fallente, an ſerra capiti circumſcribemus hiatum, ea ſpe freti, fore, ut ibi loci inveniatur materies effuſa? In ancipiti & infido malo, quemadmodum vulnera & laeſiones cerebri ſunt, nihil omittendum eſſe, quivis bonus judicabit

(*i*) Cautionem hanc ſupra inculcavi, vid. Sect. I. Cap. III. §. IX. pag. 104.

bit Medicus ac Chirurgus, at certioribus abſentibus ſymptomatibus, ſola ſuſpicione materiae latentis ex praeſenti phaenomeno, quod fallax quippe ſolet eſſe, indicationem formare, quo cranio circumſcribatur hiatus, ſi non temerarium, imprudens mihi videtur. — Ex hoc igitur phaenomeno, quemadmodum ex aliis bene multis, quae Vulnera Capitis concomitantur, materiam latentem, nulla exiſtente fractura, dari in cranio effuſam atque recluſam conjicere licet, praeſentem autem eſſe certo & determinato cerebri loco aſſerere neutiquam, ita ut, recte notante Cl. Louisio (*k*), haec lucidiſſima, obſcuritatis licet plena, habenda ſint ſymptomata, quemadmodum latius demonſtrabo in Diſſert. jam memorata de *Contrafiſſura & Vulneribus Capitis.*

## §. VI.

*Quid Syſtema Nervoſum per ſe, quidque actione ſua in alias partes, ad Morbos Unius Lateris conferat, reſpicitur.*

Abſolvenda data fides eſt (*l*). Vidimus ſic per totum ambitum hujus Sectionis, quantum ex diſtributione diſpoſitum videatur Syſtema Nervoſum, ut morbi proveniant unius Lateris. Sive jam ſtatuatur, cerebri hemisphaerio altero laeſo eos decuſſatim oriri, ſive è directo, perinde erit quoad effecta Morborum Dimidii Hominis; utraque quippe ſententia liquido demonſtrat, haud immerito aſſerendum, *Hominem in Syſtemate Nervoſo, aeque ac in aliis, bipartitum eſſe, ſic ut dimidia pars illius poſſit adfici, dum altera in legitimo ſuarum functionum te-*

(*k*) In Ejus Libro ante cit. pag. 34.
(*l*) Vid. Sect. I. Cap. II. §. VI. pag. 59.

*tenore pergat ac perennet.* — Si vero vel obiter conſideremus, hac ipſa diſpoſitione ac bipartitione Nervorum morbos non raro produci dimidii Corporis, qui ſuam originem Nervorum virtuti, eique ſoli, dimidiatim adfectae debent, quantum non idem Syſtema Nervoſum favere debet, ut, intermediante quaſi nervorum actione, in functiones reliquas, ſuo imperio in dimidio Corpore producantur morbi, non futuri certo certius, niſi eorum virtus ita in illas ageret, ut hiſce adfectionibus producendis diſpoſitae forent quam maxime. Nervoſum Syſtema, quantum ex ejus diſpoſitione, & in dextrum ſiniſtrumque corpus aequali diviſione, unius alteriusve lateris morbis producendis faveat, vel obiter intuenti patebit, ſi conſideraverit Naturam in diſtribuendis Nervorum Paribus talem obtinuiſſe modum, ut Olfactorium per utrasque diſtribuerit nares; Opticum, oculorum Motorium & Patheticum utrique dederit oculo ejusque muſculis; Quintum tribus ſuis ramis per utramque faciem, ejus muſculos ac quodvis Linguae dimidium diſperſerit; Sextum per utriusque oculi muſculos Abductores diviſerit, atque ex eo & Quinto pari in utrumque corporis latus dimiſerit utrumque Intercoſtalem; Septimum portione ſua molli per utramque Aurem internam diſſeminaverit, dum dura ejus portio in pedis anſerini formam faciem obtegens ejus muſculis inſervit; Octavum cum ſuis Acceſſoriis & Recurrentibus in utroque latere colli muſculis, linguae, laryngi, pharyngi, oeſophago, cordi, pulmoni utrique interſeruerit; Nonum praeter varios ramos, qui colli partes adeunt, urique parti Linguae diſtribuerit; Decimum in utrumque latus per muſculos obliquos, & quosdam extenſores capitis, explicaverit; & denique triginta reliqua nervorum Paria (quorum tertium quartumque emittunt utrum-

 que

que Phrenicum) ex Medulla ſpinali in utrumque truncum atque extremitates ſegregaverit.

Quantum praeterea Nervoſum Syſtema in totius Corporis H. actionibus requiratur interugm, quantumque in N. C. influat, docent Nervorum laeſiones, qui partes privas adeunt, illarumque pediſſequa functionum imminutio, docent dolores irritationesque diverſi generis, aut in ipſa parte ſpasmos, convulſiones, circuitus humorum perturbationes, aut conſenſu mirabili, quem cum diſſitis alunt partibus, eosdem effectus non raro producentes in remotioribus. Exemplo ſint effectus animi pathematum: haec, etſi commercio, quod bina inter Hominis principia viget, producantur, nervorum tamen ope functiones noſtras ſaepe turbis agitant, ac eorum vires ita animant, ut, eorum virtute impetuoſius nunc agente depravatae, in motus aberrent vitioſos. — Auctior & expeditior circulatio, ſecretio, excretio, quae concomitantur gaudium; impetus efferati, quibus muſculos, ſanguinem, bilem exagitat ira; pallor, torpor, macies, cachexia, quem febre lenta adpetitu proſtrato infert odium, livorque; vis nervea languens, tonus partium fatiſcens, motuum vitalium imminutio, pulſus tardus, contractus, circulatio lenta aliaque ſymptomata, quae moeroris pediſſequa ſunt; muſcularium virium infirmatio, tremores membrorum, ſphincterum reſolutiones, ambitus circulationis contractus, unde pallor, ſiccitas, perſpirationis ſuppreſſio, attractio major, anxietas aliaque, quae metum inſequuntur; & denique Nervoſi Syſtematis conquaſſationes violentae, adfectiones ſpasmodicae, convulſiones, epilepſiae, quae non raro conſequuntur terrorem (*m*); nonne toti-

(*m*) Conf. Ill. GAUBII Inſt. Path. Med. à §. 532. ad §. 542.

tidem demonſtrationes ſunt, quod magna Nervorum actio ſit & energia in producendis variorum morborum generibus, atque, à Syſtemate Nervoſo ut N. C. inſigne trahit emolumentum, quo ſanitas perennet, ſic etiam ab ejusdem interturbata actione labefactetur inſigniter.

Haec omnia ſi cum allatis (*n*) conferantur, non ita forte obſcure percipietur, quî quandoque vel mere nervei oriantur unius lateris morbi, vel nervorum actione, ἐνεργείᾳ & conſenſu in Vaſculoſo Lymphaticoque Syſtemate, Textu Celluloſo aliisque N. C. partibus, earumque actionibus (modo dimidia, ut ita dicam, Nervorum adficiatur ſeries) Dimidii Corporis progerminent adfectiones, ac ſuam ſymbolam tantum eo conferant, ut his non adfectis vix illas productum iri poſſet concipi.

Morborum unius Lateris mere Nerveorum exempla ulterius proferre maxime inutile foret; eorum in Sect. hac perplures adduximus Obſervationes: at vero, quo altera confirmetur aſſertio, priores obſervationes quando vel leviter perluſtramus, illius rei idea nobis, ni fallor, deveniet clarior. Scilicet, ratione haec argumenta ſi non ita deſtituta quis credat, concipiet forte mecum facilius, quî hac Nervorum aequali diviſione in N. C. partes dimidias, imminuta vel adaucta virtute dimidia, partium connexione nervorum ope cum aliis, è directo oriri posſint genarum & linguae rubores & intumeſcentia (*o*): etenim, etſi huc ſane requiratur, ut majori copia

§. 543., cujus elegantem animi pathematum picturam in hiſce ſecutus ſum.

(*n*) Confer. Obſervationes Sect. I., Introductionem Sect. II., & Obſervationes, quas retulimus Cap. II. §. II.

(*o*) Vid. Sect. I. Cap. I. §. I. Ad hunc §. adhucdum poteſt

copia adferatur ſanguineus latex, quo rubeant hae partes ac turgeſcentia infeſtentur inflammatoria, attamen & maxime, irritatis in partibus, in quibus malum haeret, nervis, eorum communicatione effici poteſt, ut è directo in aliis partibus oriantur adfectiones adaugeanturque. Obſervatio, quam mecum communicavit Cl. VAN DOEVEREN, luculentiſſimum hic exemplum eſt (*p*). —— Nec dubium eſt, quin ſuam etiam contulerit ſymbolam Syſtema Nervoſum in producendo Ictero dimidii corporis, cujus antea (*q*) fecimus mentionem, licet tamen & aliae adfuiſſe videantur cauſſae & conditiones, ut ſupra retulimus (*r*), ita ut combinationem variorum Syſtematum huic morbo producendo contribuiſſe veriſimile ſit. — Nec abſonum pariter mihi videtur huc etiam ſuas contribuiſſe partes Syſtema Nervoſum, quo ſudores produceret unius Lateris, qui ſupra fuere deſcripti (*s*): ex ſymptomatibus enim hos concomitantibus & cauſſis, quas illis ſubeſſe perſpexerunt Obſervatores (*t*), illud colligi poſſe non dubie apparet. — Ab animi pathematibus morbisque nervoſis Salivam quandoque

poteſt addi, quod in Pleuritide quandoque è directo adfectae pleurae conſpiciantur genarum rubores: horum meminit WIPACHERUS Tract. cit. pag. 59. & illius manifeſtiſſimum exemplum adducit (pag. 94.) Virginis, quae pleuritide correpta genam adfecti lateris ex coeruleo rubentem habuit, quod quidem tanto luculentius poterat conſpici, quanto magis haec à Natura alioquin ipſi haud noverca, vultu egregie florido, &, ſi colori credendum, ſanitatem ipſam referente, erat donata.

(*p*) Vid. Sect. I. C. I. §. I. pag. 5.

(*q*) Ibid. §. II.

(*r*) Ibid. Cap. II. §. V. praeſertim pag. 55 & 57.

(*s*) Ibid. Cap. I. §. III.

(*t*) Conf. ſententiam PECHLINI & HARTMANNI ibid. Cap. II. §. II. pag. 42.

que augeri & alterari notiſſimum eſt, ita ut nunc acris evadat, dulcem ſaporem linguae imprimat, aliave contrahat vitia, quae documento ſunt, nec huic functioni ſuum denegare influxum Syſtema Nerveum (*u*). Quod ſi haec ita ſeſe habeant, licet certe vaſorum actio hinc interturbetur, & proinde aliter in eorum fluidis elaborandis ſeſe gerere debeat, nonne tamen hinc repetenda quodammodo videtur unius lateris Salivatio, quam ſupra memoravimus (*v*)? Eodem praeterea redeunt, quae adnotat PECHLINUS de uno latere frigido cum concomitante inſultu epileptico (*x*), ubi tragoediam luſiſſe pro maxima parte videtur Syſtema Nervoſum. An denique Tumor brachii, una cum tumore teſticuli ejusdem lateris, ac Nephritidis ſymptomata, è directo caput adficientia, alterutro laborante rene (*y*), ex eodem fonte repetenda ſunt? niſi in priori caſu ad Syſtema Lymphaticum ſimul recurrendum ſit, ut ſupra innui (*z*), illa ſymptomata ad Syſtema Nerveum referri debere credibile eſt; at vero in po-

(*u*) Conf. HALLERI Elem. Phyſ. Tom. VI. pag. 53.

(*v*) Vid. Sect. I. Cap. I. §. VIII. pag. 29. Confirmare hanc rem videtur ſalivae dulcedo in altero latere, cujus meminiſſe VIRIDETUM (*du bon chyle* pag. 293.) Auctor eſt HALLERUS (l. mox cit. ad notam (*c*)). Eadem haec confirmare videntur, quae legimus in Miſc. N. C. (Dec. II. ann. IX. pag. 460.) à JOH. MATH. FABRO obſervata: ſcilicet „ Civis Heilbr. cum per ſcalas ruens occiput vehe„ menter concuſſiſſet, curatus tamen, nil aliud patiebatur „ inſolitum, praeterquam quod ſaporem nullum, niſi dul„ cem, quicquid etiam guſtaret, perciperet, & inprimis in „ latere, ubi caput maxime laeſum fuerat."

(*x*) Ibid. Cap. I. §. IV. pag. 12. Veluti certo contigit in morbo nervoſo lateris unius, ſed ſimul tamen quoque vaſculoſo, quem ex hoc Auctore citavi pag. 132. Not. (*y*).

(*y*) Ibid. Cap. I. §. IX & X.

(*z*) Ibid. Cap. II. §. V. pag. 57.

poſteriori caſu ſymptomata à Nerveo ſyſtemate è directo adfecto, ac cum capite per conſenſum communicante, deducenda eſſe ego quidem adfirmaverim.

Atque haec ſufficiant: quae ſi quis non tanti forte ponderis exiſtimet, ut rem abſolvere videantur, relegat quaeſo paullo curatius Obſervationum par, quod ſuperius fuit allatum (*a*), invenietque, ni fallor, & morbos dari unius Lateris mere nerveos, & ſuo praeterea influxu in functiones vaſorum & ceterarum partium Syſtema Nervoſum contribuere inſigniter, quo ſuas phaſes in altero dimidii Corporis Latere producant potentiae morbificae. —— Prolatam ſuperius MANGOLDI obſervationem (*b*) ſi attentione paullo ſeveriori perlegimus, quam pulcre non inde adparet, quî ex adfecto unius Lateris Syſtemate Nervoſo debilitata videatur vaſculorum cutaneorum, eorumque exhalantium orificiorum ſeries, in eodem latere, ita ut ἐνεργείᾳ Nervorum deficiente humores ſuos elabi quaſi conceſſerint; quî porro in dextro latere illorum vaſorum vis requiſita aut defuiſſe aut ſpaſtica nimis adfuiſſe, cum nervos ſtimulantia aut humorum motum

(*a*) Vid. hujus Sect. Cap. I. §. VI & VII.

(*b*) Ante paucos dies, cum, quae ad Sect. I. referenda erant, jam erant impreſſa, ad me tantum pervenit pulcra haec Obſervatio, & hinc ob ejus praeſtantiam & fidem hunc locum illi aſſignare fui coactus, cum, ſi prius ad manus meas perveniſſet, convenientius in Sect. I. fuiſſet commemorata. Interim gaudeo, abſoluta Sectione priore, me tamen illam reſciviſſe, quia Conjecturis meis de Cauſſis Mechanicis & Dynamicis in producendis Unius Lateris morbis robur addit inſigne; quapropter quoque eam totam commemorandam eſſe quam maxime credidi, in hac quippe obſervatione & notantur ſingulae, quae quicquam ad hunc morbum producendum contulerunt, & conjunctae ſuas etiam contribuerunt partes, ut ſic exſtiterit, quemadmodum relata eſt.

tum incitantia requirebantur, quo ſudor ex illis poſſet prolici; quî denique in adfecto Syſtemate Vaſculoſo unius tantum lateris concurriſſe hic ſimul videantur & cauſſae dynamicae & mechanicae, quum partim à vi vaſorum inſita pulſationes arteriarum repetendas, partim à cauſſis mechanicis, cum, corporis mutata poſitura, motus hi abnormes eſſent vel legitimi, deducendas credibile ſit?

Haec omnia igitur ſi quis ad ante dicta tranſtulerit ſuo loco, haecque attenderit in combinatione legum mechanicarum & dynamicarum, invenerit, ut opinor, horum Syſtematum diverſorum actione, quandoque ſola, quandoque combinata, *Adfectiones* produci *morboſas dimidii Corporis*, atque haec omnia documento eſſe, quod in morbis producendis quandoque *dextrae partis facultas & natura à ſiniſtrae partis natura & facultate differat.*

Atque hic dum explicit Diſſertatio, reſpiciens ad lacunas & hiatus, quos relinquere in explicationibus Cauſſarum fui coactus, in memoriam revoco dictum illud Sagaciſſimi BACONIS „ Homo Naturae miniſter & interpres tantum facit & intelligit, quantum de Naturae ordine re vel mente obſervaverit, nec amplius ſcit aut poteſt."

F I N I S.

# DISSERTATIONIS ARGUMENTA.

## *SECTIO PRIMA.*

### *DE ADFECTIONIBUS ALTERUTRIUS LATERIS, INPRIMIS EX VASORUM SYSTEMATE ALIISVE PARTIBUS DEDUCENDIS.*


*Introductio.* Pag. 1

CAP. I. *Obſervationes Morborum dimidii Hominis continens.*

§. I. *Genarum rubores; albedo Linguae è directo pulmonis adfecti; Linguae intumeſcentia & rubedo dimidiae.* 3

§. II. *Coloris cutis Ictero depravati exempla.* 5

§. III. *Unius Lateris ſudores.* 7

§. IV. *Calor frigusque alterutrius lateris.* 12

§. V. *Eruptionum cutanearum variae ſpecies.* 13

§. VI. *Alterutrius lateris Ignis ſacer.* 15

§. VII. *Inflammatio ſiniſtri Pulmonis, cum vaſorum tenuis Meningis diſtenſione ac turgescentia ſiniſtri lateris.* 28

§. VIII. *Salivatio ſolius dextri lateris.* 29

§. IX. *Tumor brachii ſiniſtri inſignis, una cum tumore & duritie teſticuli lateris ejusdem.* 30

§. X. *Nephritidis ſymptomata, è directo caput adficientia, alterutro laborante Rene.* 31

§. XI. *Hemizomatis Necroſis.* 32

§. XII. *Evacuationes Criticae alterutrius Lateris, inprimis per Nares dextras vel ſiniſtras.* 33

CAP. II. *Expoſitarum Obſervationum harumque Phaenomenorum cauſſas indagans.*

§. I. *Explicationis Cauſſarum difficultas.* 38

§. II. *Variorum Auctorum explicationes adfectionum dimidii Hominis memorantur.* 40

§. III. *Quaenam Momenta in explicatione cauſſarum adfectionum alterutrius Lateris conſideranda ſint, proponitur.* 47

§. IV. *Quid Cauſſae Mechanicae ad morbos unius Lateris contribuant, inquiritur.* Pag. 48
§. V. *Quantum hic ſuam Symbolam conferat Syſtema Vaſculoſum vi proprie dynamicâ, diſpicitur.* 52
§. VI. *Syſtematis Nervoſi* ἐνεργεῖα *& actio in morbis unius Lateris.* 59
§. VII. *Syſtema Lymphaticum quatenus in morbis unius Lateris producendis ſuas agat partes.* 59
§. VIII. *Influxus Textus Celluloſi in adfectiones Corporis dimidii.* 65
§. IX. *Quid combinationes Legum Mechanicarum & Dynamicarum & uniuscujusque Syſtematis connubium efficiant.* 72

CAP. III. *Num Venae Sectio in Pleuritide, aliisve morbis, è directo, an in oppoſito latere inſtituenda ſit, exponens.*
§. I. *Agendi ratio, ob Auctorum diverſas opiniones, traditur.* 76
§. II. *Sententia* HIPPOCRATIS, GALENI, *aliorumque, qui ſanguinem è vena adfecti Lateris educendum eſſe, putarunt.* 78
§. III. *Variae, quas pro Venae Sectione* κατ' ἴξιν *Auctores memorati adduxerunt, rationes adferuntur.* 82
§. IV. *Aliorum Auctorum opinio de V. S. in adfecto Latere non inſtituenda exponitur.* 86
§. V. *Rationes pro oppoſiti Lateris V. S. à Variis adductae.* 88
§. VI. ANDREAE VESALII *ſingularis opinio, ejusque examen.* 92
§. VII. *Proponitur* WIPACHERI *Explicatio V. S. è directo, & num ea rem conficiat inquiritur.* 94

§. VIII.

§. VIII. *De ſelectu V. S. in Apoplexia & laeſione cerebri, quam conſequitur Hemiplegia.* Pag. 99

§. IX. *Quid de V. S. è directo, an ex oppoſito, in ſtituenda ſtatuendum videatur, exponitur.* 102

## *SECTIO SECUNDA.*

### *DE ADFECTIONIBUS ALTERUTRIUS LATERIS A NERVOSO SYSTEMATE SUAM REPETENTIBUS ORIGINEM.*

*Introductio.* 107

CAP. I. *Adfectionum Nervoſarum dimidii hominis Obſervationes continens.*

§. I. *Alterutrius Lateris Convulſio.* 108

§. II. *Laeſo Cerebri hemiſphaerio oppoſitarum partium Hemiplegia.* 111

§. III. *In uno eodemque corpore Convulſio unius, & Lateris alterius Paralyſis.* 117

§. IV. *Paralyſis Dimidii Corporis & quidem illius, cui inhaeret Cauſſa.* 119

§. V. *An Medullae ſpinalis laeſiones in oppoſiti Lateris parte ſuos etiam producant effectus?* 120

§. VI. *Catoche & Rigor Dimidii Hominis.* 130

§. VII. *Hemiplegia unius Lateris, una cum Sudore nunc dextri Corporis nunc ſiniſtri, Febre dimidiati Corporis, Convulſionibus aliisque Symptomatibus.* 133

CAP. II. *Auctorum varias opiniones de alternorum Syſtematis Nervoſi morborum cauſſis proponens.*

§. I. *Sententia* HIPPOCRATIS, *nec non* BALLONII, FOËSII, DURETI, HILDANI *Aliorumque explicatio.* 139

§. II. *Staminum Cerebri & originis Nervorum Decuſſatio*, ARETAEO *jam dicta*, *a* CASSIO *prolata*. Pag. 143
§. III. *Decuſſationis Doctrina à* LANCISIO, SANTORINO, PETITO, WINSLOVIO, MOLINELLO, SWIETENIO *Aliisque confirmata*. 145
§. IV. *Singularis* SAUCEROTTII *de cujusvis hemisphaerii Cerebri alterna Decuſſatione Opinio*. 151
§. V. *Decuſſationis Doctrina non omnibus admittitur Auctoribus*. 154
§. VI. *Adverſariorum Decuſſationis* HOLLERII, LAURENTII, MORGAGNII, HAENII, HALLERI, MONROI, MARHERII, METZGERI *Aliorumque Argumenta*. 155

CAP. III. *Utra de Nervorum Decuſſatione Auctorum ſententia potior, & quid de alternorum Morborum Nerveorum cauſſa ſtatuendum ſit, inquirens.*
§. I. *Explicationis Cauſſarum difficultas*. 166
§. II. *Argumenta, ex Anatome & Ratione deſumta, proponit, quae Decuſſationem Naturae incongruam eſſe, docere videntur*. 168
§. III. *Difficultates, quae rejecta Decuſſatione ſupermanent, memorantur, & quid ex allatis concludendum ſit, proponitur*. 176
§. IV. *Negata Decuſſatione, an alia Phaenomenorum explicatio detur, inquiritur*. 178
§. V. *Quaeſtiones, quae ex antecedentibus fluunt, perſtringuntur*. 182
§. VI. *Quid Syſtema Nervoſum per ſe, quidque actione ſua in alias partes, ad Morbos unius Lateris conferat, reſpicitur*. 184

## *AD ORNATISSIMUM*

# M. S. DU PUI,

*A. L. M. & Phil. Doct.*

Summis in Medicina Honoribus condecorandum.

*Si quondam veteri licuit, Puteane, ſodali*
*De Plectro faciles elicuiſſe ſonos:*
*Si mihi principium* BLEISVICIUS *ipſe canendi,*
*Publica quo conſtat res bene nixa, fuit;*
*Vix prima ingenuas ſparſus lanugine malas*
*Ante agerem vitae quam tria luſtra puer:*
*Saepius hinc placitos forſan ſi fundere verſus*
*Sollicitavit amor, juſſit amicitia:*
*Nunc equidem, tibi* LEIDA *novos dum ſpondet honores,*
*Turpe ſit in titulos conticuiſſe tuos.*
*At prior ille animo penitus deferbuit aeſtus,*
*Preſſaque curarum pondere Muſa jacet.*
*Te celebrent alii, quorum felicibus auſis*
*Adnuit Aönii praeſul Apollo jugi:*
*Stridulus haud blandos interſtrepat anſer olores,*
*Et rauco turbet murmure dulce melos.*
*Vota feram ſatis eſt: latum Te Fama per orbem*
*Pollentem medica praedicet arte Virum.*
*Iſala qua nitidis* CAMPOS *adlabitur undis,*
*Auxiliatricem jam petit aeger opem.*
*Vade bonis avibus: viduatas civibus oras*
*Priſtina reſtituat, Te veniente, ſalus.*
*Nec tamen, ut vultû faveat Fortuna ſereno,*
*Deſine tu noſtri vivere, Care, memor.*

P. H. MARRON.

M. S. D U P U I,

*A. L. M. & Phil. Doct.*

Medicorum ordini adſcribendo.

*Ille, Groningano quondam plaudente Lyceo,*
*Cui Sophie titulos contulit alma ſuos:*
*Cujus abhinc dotes ſtupuit ſacrata Minervae*
LEIDA *domus, magnis inclyta* LEIDA *Viris:*
*Ipſe dein toto diviſos orbe Britannos*
*Per tumidi fluctus auſus adire freti:*
*Inde Pariſiacas quem tendere juvit Athenas,*
*Doctrinae ut varias undique quaerat opes:*
*Jam patrias, Hygieia! redux Te poſcit ad oras*
*Cingere Phoebaeae frondis honore caput.*
*Diva fave! quin Tu, meritorum conſcia, myſtis*
*Hunc ſimul adnumeras, ipſa ſuperba, tuis.*
*Gratamur, Puteane, Tibi: Tu creſcere ſemper*
*Laude nova, & Socii vivere perge memor.*

J. P. MARRON.
Med. Stud.

# ERRATA GRAVIORA.

Pag. 14. Nota (*b*) *Linea* 4. perdiculum *Lege* perpendiculum. Pag. 16. *lin.* 1 HOMINO *lege* HOMINE. Pag. 30. *lin.* ult. pronuntur *lege* ponuntur. Pag. 31. *lin.* 25. ren *lege* renem. Pag. 35. *lin.* 1. criſes *lege* criſis. Pag. 35. *lin.* 10. evacuandae *lege* evacuanda. Pag. 41. *lin.* 5. haemiplecticum *lege* hemiplecticum. Pag. 46. *lin.* 7. *lege* hanc. Pag. 46. *lin.* 9. rimetur *lege* rimemur. Pag. 47. *lin.* 5. alterutris *lege* alterutrius. Pag. 49. *lin.* 25. haemisphaerium *lege* hemisphaerium. Pag. 87. *lin.* 22. directa *lege* directo. Pag. 89. *lin.* 15. tunderunt *lege* tuderunt. Pag. 94 & 95. *ἄξυγος lege ἄζυγος*. Pag. 128. *lin.* 20. videor, *lege* videmini. Reliqua facile poterunt emendari.

## ERRATA GRAVIORA.

Pag. 14. Nota (b) *linea* 4. perdiculum *Lege* perpendiculum. Pag. 16. *lin.* 1 Homine *lege* Hominem. Pag. 30. *lin. ult.* promantur *lege* ponantur. Pag. 31. *lin.* 25. ten *lege* tenem. Pag. 35. *lin.* 1. crises *lege* crisis. Pag. 35. *lin.* 10. evacuatione *lege* evacuanda. Pag. 41. *lin.* 5. hemiplecticum *lege* hemiplegicum. Pag. 46. *lin.* 7. *lege* hanc. Pag. 46. *lin.* 9. tinetur *lege* timemur. Pag. 47. *lin.* 5. alterutris *lege* alterutrius. Pag. 49. *lin.* 13. hemisphericum *lege* hemisphaerium. Pag. 87. *lin.* 12. directa *lege* directo. Pag. 89. *lin.* 15. tenduntur *lege* tenduntur. Pag. 94 & 95. ἀξονος *lege* ἄξονος. Pag. 128. *lin.* 20. videor, *lege* videmini. Reliqua facile poterunt emendari.

# MANTISSA
## POSITIONUM MEDICARUM.

I. Qui Medicinam, prae aliis ſcientiis, ut omnis certi expertem infamant male ſeduli doctores & perperam obſervarunt & vitioſe argumentantur: ſuis tamen, ut ceterae ſcientiae Medicina premitur Hypotheſibus, quarum & ſua eſt utilitas, & quibus exuta in ſceleti ſpeciem contabeſceret.

II. Omnis Medicinae Empiricae Humano Generi profuturae fundamentum eſt Ratio.

III. Proprietas illa, quae Solida Corporis Animalis viva ab aliis corporibus quibuscunque diſtinguit, nihil quicquam commune habet cum Mente, ſed corporea eſt.

IV. Bilis in Hepate ſecreta per regurgitationem in veſiculam defertur felleam, ex hac autem per Choledochum in Inteſtina.

V. Variolarum inſertionem inſtituere utrum licitum ſit, me judice, non amplius debet quaeri; at vero num illam omittere licitum ſit, quaeſtio eſt: quoniam (ut verbis utar J. Lock ad Th. Sydenhamium apprime huc reducendis)

„ *Quis tandem* Arte nova *domitam miteſcere Peſtem*
„ *Credat & antiquas ponere poſſe minas.*
„ *Poſt tot mille neces cumulataque funera buſto*
„ *Victa jacet*, parvo vulnere, *dira Lues.*"

VI. Hulmii Lithontripticum (ut ceterorum etiam ſors fuit) tantum valuit in aegro, cujus ſanationem prodidit in ſuo Tractatu, ut poſt mortem ejus calculorum magna copia in veſica fuerit inventa.

VII. Suadet ſolita generationis Lex, quam in minimis aeque ac majoribus animalibus detegit obſervatio, ſuadet & analogia, Vermium Inteſtinalium originem à foris derivandam: adeoque ſummo Pathologo aſſentior, ſcribenti, „ Quod ipſa Natura dictavit ſyſtema, non ilico turbandum, ſi qua forſan parte ob cognitionis humanae anguſtiam hiat." *Inſt. Path. Med.* §. 587.

VIII. Scorbutus ad Claſſem morborum putridorum pertinet, ejusque cura antiſeptica unica eſt.

IX. In Pleuritide loco dolenti Veſicatorium non eſſe adplicandum, optimum TRALLESIUM nimis meticuloſe docuiſſe comprobat experientia.

X. Febrium Cauſſam eſſentialem ad ſpasmum referre nullus dubito; ſpasmi vero originem ab atonia ſolidorum repetendam, minus recte aſſeritur.

XI. In Arthritide nullam dari materiem, ut vocant, podagricam, aſſeritur facilius, quam demonſtratur.

XII. Male Generi humano mihi proſpicere videntur, qui, cujuscunque fuerit Naturae, Scirrhi vel Carcinomatis ſectionem inutilem arbitrantur.

XIII. In Hernia incarcerata praeſtat innoxiam plerumque κηλοτόμιαν tempeſtive inſtituere, quam multis conaminibus & cunctando vitam aegri in periculum ſummum conjicere.

XIV. Niſi fuerit oſſeae naturae Cataracta, vel aliae adfuerint conditiones, quae Extractio-

tionem poſcunt, illi medendae ſimplex diviſio capſulae lentis cryſtallinae, atque illius in humorem aqueum protractio ſufficit; hoc quippe ſolvitur: unde haec methodus Extractioni anteponenda eſt.

XV. Unicum tantum datur vere ſarcoticum, ipſa nempe Natura.

XVI. Poſitura extremitatum, ſi forte fracta fuerint earum oſſa, optima eſt, in qua omnes earum ambientes muſculi in relaxatione maxima ſunt.

XVII. In fiſtula ani partis adfectae exſciſſionem omni in caſu ego quidem damno. Opinio, niſi callus circumſcindatur, eas ſanari non poſſe, ficta eſt & futilis. Simplex parietum diviſio, ſive illa fiat cultro, ut in profundis, ſive ligetur paries, ut in ſuperficialibus, optima eſt, illaque unica debet eſſe curandi methodus.

XVIII. Matrem inter & foetum vaſorum nulla eſt directa communicatio: modus autem, quo humorum fit tranſitus ex matre in foetum, nondum recte intelligitur.

XIX. Miror Marherium, egregium ceterum magni Boerhaavii Inſt. Med. Commentatorem, ſcripſiſſe (Tom. III. pag. 645.) ultimo graviditatis tempore inverti foetum; cum firmum ſit ratumque (niſi impedimenta adfuerint praeternaturalia) ſua ipſius gravitate jam ab initio deorſum pendere foetus caput.

XX. Aqua Amnios non tantum inſervit, ut ab externis injuriis praeſervetur fluctuans in illa foetus, at praecavet ſimul, ne ab ipſo agente utero comprimatur fortius.

XXI. Placentae extractio poſt partum momentanea in genere pejora poſt ſe trahet mala, quam ſi hanc operam ſemper Naturae committimus.

XXII. In infeliciſſimo illo caſu partus, ubi aut matri aut foetui moriendum ſit, ut alterutrius vita conſervetur, matris vita potior eſt.

XXIII. Male vulgo creditur, lac primum muliebre infantibus nocivum fore: recens nato convenit lac recens puerperae.

XXIV. Forcipes Obſtetriciae, quales SMELLIANAE, optimae ſunt, ſi earum feneſtrae ad initia arctiores ſint, ac pedetentim ampliores evadant ad manubria usque, ita quippe parietalium oſſium eminentiae iis comprehendi poſſunt, ac foetus caput retineri firmius.

XXV. Vecte ROONHUSIANA, aliave huic ſimili, in omni capitis poſitione in pelvi, in qua inſtrumentorum auxilium requiritur, partum abſolvi poſſe, ego quidem adfirmaverim.

XXVI. Nullam habere utilitatem operationem Synchondroſeos oſſium pubis in partu difficili, aſſeritur minus bene; illam autem convenire poſſe omni ferme in caſu, ubi inſtrumenta cetera obſtetricia, unco excepto, nihil valent, multum à vero abludit: puto hinc, quod hic

*Iliacos intra muros peccatur & extra.*